


Rarissimum

50 M





ITER

PER

POSEGANAM SCLAVONIÆ PROVINCIAM

MENSIBUS JUNIO, ET JULIO
ANNO MDCCLXXXII.

SUSCEPTUM

A MATHIA PILLER
Historiæ Naturalis,


ET

LUDOVICO MITTERPACHER
Oeconomiæ Rusticæ, in Regia Universitate Budensi
Professoribus Presbyteris.



cum 16 tab aen

BUDÆ,
TYPIS REGIÆ UNIVERSITATIS.
ANNO MDCCLXXXIII.



Prostat Pestini, Budæ & Cassoviæ, apud J. M. Weingand, & J. G. Köpf.

EXCELLENTISSIMO,

ATQUE

ILLUSTRISSIMO

DOMINO COMITI

ANTONIO JANKOVICH

DE DARUVÁR,

Sacr. Cæs. Reg. & Apost. Majestatis Consiliario Status Intimo, inclyti Comitatus Posegani Supremo Comiti, & ad Excelsam Tabulam Septemviralem Assessori, & Cojudici

FELICITATEM!

ITER majoribus fortasse animis, quam fortuna susceptum narrare Tibi constituimus, Vir Excellentissime! Sit enim hoc nostræ erga Te observantiæ perpetuum monimentum, quam veris Tuis virtutibus debitum, tam ab omni adsentationis suspicione remotum; sciantque omnes, quum plurima in peragrata a nobis Provincia egregie instituta legerint, Tua se decora legere, eo ad fidem proniora, quo magis simplex & neglecta sine cultu narratio a rebus in majus extollendis abhorret.

Tertius jam labebatur annus ab eo, quo primum *Eminovaz*, in Posegana provincia situs pagus, ignibus infe-

ſtari cœpit, quorum, quum cauſam ignorarent agreſtes, naturam ſuſpectam habuere, immigrante in animos hominum opinione, eos aut a terra ſponte editos, aut libera in aura ſubito coortos fuiſſe. Et usque eo pertinuit terror, ut ruſtici nulli jam tecto ſatis fiderent, paſſimque deſertis et evacuatis domibus in vicinis pomariis ſternerentur, omni domeſtica ſupellectili in propatulo poſita, quoad alio loco, quo timores non pervenere, novas ſibi ſedes collocaſſent. XVIII. Kalendas Octobres anno 1779 primum res pavidæ eſſe cœptæ, & quod periculum ſæpe uno die iteratum eſt, & quod unius ſemper ruſtici tectis incubuit. Mane ſole nondum orto viſa primum flamma ab imo domus angulo in ſummum lente gliſcere, & tecto ſe adplicare. Inde cum ſtramentis excuſſa diſparuit. Extremo die, qua imum tectum ultra parietes domus exſtabat, rurſumque poſt ſolis occaſum in ipſo januæ limine ſubito flamma colluxit, ſed ante, quam noxam dare poſſet, reſtincta eſt. Quatuor poſt horis vimineum modici ambitus granarium, et poſtridie cubiculum, hoc ſexdecim, illud duodecim paſſibus a domo ſejuncta, cum ardere cœpiſſent, a vigilibus domui adpoſitis flammis erepta ſunt. Nec deinceps domus periclitata eſt, usque ad VI. Idus Januarii Anni 1780, quo ante lucem, tecto alte nivibus obruto, prius, quam aliquis periculi ſenſus ad dormientes perveniret, ignes jam eo admiſit, ut deinde pavore ſomnoque torpidis

homi-

hominibus, nullo auxilium ferente, conflagraret. Anno deinde hoc & potiore insequentis parte pacata omnia fuere. Et jam in nullo discrimine esse instaurata post incendium domus videbatur, cum Anno 1781. pridie Nonas Septembres pleno die in ima tecti parte, loco casui, aut injuriæ minime opportuno, flammam repente fudit; ea adfusæ illico aquæ cessit. Postero die coortis improviso in vicino tecto, sub quo fœnum conditum erat, ignibus, et flante ab Austro vento ad vicina tecta trajicientibus, cum ternis adhuc ædibus alieno incendio deflagravit. Ab eo tempore ignes velut contagione in pago vulgari, & jam non tecta, non sepimenta tuta esse. Duæ præcipue res motis jam timore animis pene prodigio similes visæ. Primum quod ligneus alveus in media chorte jacens, adsidentibus per otium, &, quoniam tranquilla circum omnia fuere, nihil metuentibus hominibus repente flammis involutus est. Deinde, quod, cum jam res suas secum sub dio haberent, in arca vestiaria seris conclusa fumus index fuit, vestes ardere. Rupta arca apparuit linteum vestibus instratum arsisse, mirantibus, neque intelligentibus hominibus, qua igni inviolata arca eo iter factum sit. Repentini hi ignes, quia quam caussam nullam, tam ne modum quidem habituri videbantur, trepidos, & insolita re attonitos colonos eo perpulere, ut in locum ab incendiis tutum, se suaque, et ipsas etiam superstites adhuc ædes transferrent.

 De

De his cum Provinciæ Magistratus ad Augustum retulissent, regiæ Scientiarum Universitati negotium datum est, videret, quinam tot, tamque subiti ignes concitari potuerint? Atque hæc erat caussa itineris nostri, quod nos, quoniam e re tam ambigua exitum spes non ostendebat, in rerum naturalium occasionem vertere instituimus. Quid ea in re præstiterimus, brevi hac narratione complectimur, non quod aliquod operæ pretium nos fecisse arbitremur, sed quod alios post nos maximum facere posse speremus, quibus nos non duces, sed indices modo esse voluimus. Neque illa nos subit cura, ut, quæ Tibi, Vir Excellentissime dicuntur, Te digna sint. Nam quid Tu non toto animo amplecteris, quod ad quamcumque charissimæ Tibi Provinciæ sive commendationem, sive felicitatem faciat? Non ignoramus certe, id Tibi unice in votis esse, ut cui provinciæ a Te brevi temporis spatio ad stuporem excultæ, atque ornatæ pene nihil eorum, quæ ingenio, arte, & regendi scientia comparari solent, adjicere potes, eam perfectis, quæ natura sponte offert, donis locupletes. Si quæ de Te forte laudabiliter dicta leges, ea veritas narrantibus subjecit, non adulatio commenta est. Eam & a nostris moribus, & a Tua, qui matura jam gloria, neque, quod providere licet, unquam in invidiam versura frueris, dignitate, alienam esse sciunt, quicumque Te, nosque communiter noverunt.



BUDA discessimus XV. Kalendas Julias. Ab ea Urbe ad duo fere passuum millia via arctatur inter Danubium, & colles vitiferos, qui sunt aliqua velut soboles majorum montium inde a finibus Poloniæ, & Carpatho procurrentium, neque, nisi Vicegradum inter & Vacium, Danubio intercisorum. Natura horum collium calcarea est. Præcipua iis laus a vino advenit, quod non probum solum, sed uberrimum etiam præbent. Hoc tamen anno raræ e vitibus pendebant uvæ, quod sera post primos veris calores frigora vites perussere, & fructus jam in primis gemmis Dominis decoxit. Res dictu digna est, quod, quicumque non properaverunt vites putare, &, seu negligentia cunctandi caussa fuit, seu providentia, falcem iis non ante, quam certa miti tempestati fides constaret, admoverunt, uberem pro more vindemiam cellis intulerint. Quæ res, quoniam non hujus solum, sed plurimorum prælabentium annorum experimentum est, seram apud nos putationem plurimum commendat, quod satius

tius

tius ſit procraſtinando maturitatem fructuum in paucos dies differre, quam feſtinando univerſæ rei periculum ſubire. Cæterum vinitorum Budenſium diligentiam teſtimonio noſtro fraudare non poſſumus; vineas enim nihil minus diligenter, accurateque colunt, quam hortos, quorum imitatione vites in ordines, ſeriesque diſpoſitas habent. De vino, quod in his collibus exprimitur, nemini ignotum, celeberrima fama illuſtre eſſe; quo magis mirum, id infrequenter ad exteros exportari, fereque contingere, ut omnem ampliſſimarum vinearum uſuram ſoli domeſtici dependant. His collibus continentes ſunt illi, quibus pagus *Promontorium* appellatus ſubjacet. Ii, cum nihilo deterioris fluxuræ vites alant, eo etiam memorabiles ſunt, quod plurima concharum genera, alibi acervatim congeſta, alibi ſpeciebus ſecreta, veluti oſtraciten monſtruoſum *Bertrandi*, ſub ſummo argilloſo ſolo continent. Nec raro effodiuntur ingentes moles ex achate, jaſpide, & corneo lapide in vicem confuſis coagmentatæ, quæ omnem ligni in lapidem durati ſimilitudinem habent. *Promontorio* priſcis temporibus nomen *Campona* fuit, ubi equites Dalmatæ ſub Duce Pannoniæ Valeriæ excubabant. Eo loco Anno 1779 inventa eſt columna milliaria, nomine ac titulis *Severi Alexandri Auguſti* inſcripta, atque *ab Aquinco Mill. paſſ. VIII.* præſeferens, ad cujus monumenti fidem Cl. *Schönwiſner* in

Com-

Commentario geographico, quo iter per Danubii ripam in Antonini Itinerario deſcriptum illuſtrat, & Rdſſ. ac Cl. *Salagyi* in peculiari de hac columna opere, *Aquincum* eo loco ſtetiſſe docent, quo hodie *vetus Buda* eſt, quod eſt frequens nec inelegans Urbi continuatum oppidum. Eam veram ſententiam confirmant quinæ hoc anno, loco eodem, eodemque cum diſtantiæ numero columnæ erutæ, e quarum inſcriptionibus apparet, eas Imperatoribus *Antonino Pio*, *Septimio Severo*, *Julio Vero Maximino*, *Philippo* & *Otaciliæ*, nec non gemino *Philippo* & *Otaciliæ* a viæ Aquincenſis curatoribus poſitas, & dedicatas fuiſſe.

Ad *Tettény* montes, collesque recedunt ad occidentem verſus *Veſprimium*, & lacum *Balaton*, juxta quem porrecti per Simeghienſem, & deinde per Baranyenſem Provincias procurrunt in Sclavoniam, Croatiamque, atque inde in Serviam, ubi ad Hæmum ſe adjungunt. Inter *Tettény*, & *Hanſabég*, quæ ſunt loca modico a ſe intervallo diſtantia, indignati ſumus, trium fere horæ quadrantum viam intereſſe, quod circum campos arcuetur, qui, quoniam ſingulis pene annis redundantibus Danubii aquis merguntur, uliginoſi ſunt, & paludibus ſtagnantur, neque, niſi æſtuoſiſſima æſtate veſtigia pecorum, hominumque admittunt. Nobis paluſter hic campus, quod planæ poſitionis ſit, non ſiccus modo, ſed

quæſtuoſus etiam reddi poſſe videtur. Nam ſi foſſis crebro ſecetur, quibus primum, qui per annos jam reſedit humor, hauriatur, deinde vero etiam illæ, quas per intervalla fluvius infert, aquæ, cum primum conquievere, in alveum ſuum refluere poſſint, pro riguis pratis erunt, poteruntque ex iis copioſa optimæ qualitatis fœniſicia tectis inferri. Neque enim Danubius, quod quidam torrentes faciunt, campos aut lapidibus obruit, aut limo, cœnoque cumulat, ne poſſit herba vel ſubnaſci, vel jam nata perennari; cum pinguibus potius aquis inundet, quibus ſi itinera, per quæ exitus pateat, dentur, locaque campi concava, ne lacunas contineant, injecta humo, lapidibusque æquentur, redundantes hæ aquæ beneficii loco erunt, nihilque minus in ciendis, alendisque optimis quibusvis graminibus valebunt, quam, quas periti, & diligentes coloni ſiccaneis pratis manu inducere ſolent. Hæc, quæ tum ſuccurrerunt, tanto majorem nobis attentionem mereri videntur, quanto pluribus deinceps locis pigras ejus naturæ aquas ſecundum Danubii ripas conſidere vidimus, metumque non vanum eſſe intelleximus, ne magna planæ regionis pars inutile ſtagnum fiat. Nam moles, quæ fluvii ſubitis aquis aucti modum excedant, præjicere velle, quod omnis fere ejus longitudo vallis, munimentisque concludenda foret, improbum ſit, neque noſtris neceſſitatibus accommodatum.

Ad

Ad *Hanſabég* altitudinem ſuperavimus, quæ e marga jam pulverea, jam ſchiſtoſa indurata, ſed ad auram fatiſcente coaluit. Inde via collibus inæqualis eſt, quoad in *Erſén* perveniatur; poſt quem locum regio in immenſos pene campos pateſcit. Solum hactenus ubique argilloſum, atque frumentorum ſegetibus aptatum, ad plantas, quas circa Budam legere conſuevimus, ſolum *Chelidonium corniculatum* addidit. In concavis, & aqua ſtagnatis locis præter *arundinem phragmiten*, & quotidianas in paludibus herbas frequens florebat *menyanthes nymphoides*, & *poa aquatica* utiliſſimum in pabulo pecorum gramen, quod cum forte Cel. *Linnæus* Gothiæ indigenum eſſe reperiſſet, eoque intellexiſſet, lecto ejus ſemine, atque in lacubus ſparſo poſſe fœniſicia ipſis in aquis colligi, tantum eam inventionem ſpondere exiſtimavit, ut ſola perfecti moleſto in itinere laboris, &, qui e publico facti ſunt, ſumtuum gratiam repenſatura videretur.

Poſt *Földvár* ſabuloſum evadit ſolum, ſed culturæ idoneum, quod humo temperetur. Non deſunt tamen varii, & nudis ſparſi tumulis campi, e quibus, niſi tenue, & quavis aura mobile ſabulum aut herbis integere, aut ſilvis opacare cura ſit, pernicies ad vicinos circum agros ventis transferri poteſt. Propter viam quotidianæ occurrebant herbæ, e quibus *Nepeta pannonica* cum lætiſſimo incremento emine-

ret, oculos in ſe pelliciebat, ut carperetur. Quod dum fit, forte aliud ſe obtulit plantæ genus, quod cum jam ante quatuor annos loco inter Albam - regalem, & Veſprimium medio reperiſſemus, gaviſi ſumus hic quoque occurriſſe, & eſt *Teucrium Laxmanni*. Ejus hæc eſt deſcriptio:

TEUCRIUM LAXMANNI Tab. I.

Caulis erectus 1, *aut* 1½ *ped. altus, ſtriatus, totus tomentoſus. Folia ovato - lanceolata, oblonga, integerrima, oppoſita, ſeſſilia, tomentoſa. Flores axillares gemini, ſeſſiles. Calyx quinque - fidus hirſutiſſimus. Corolla ſordide lutea purpureis lineis longitudinaliter ſtriata; labio ſuperiore nullo, inferiore trifido; lacinia intermedia cordata.*

Inde, quoniam in noctem jam dies declinabat, nihil dictu dignum occurrit, præterquam quod auriga *Otidem tardam* gemino, ſed utroque caſſo ictu petierit. Mirabamur avem, nonniſi gregatim paſcere ſolitam, & formidoloſam, hic & ſolam fuiſſe, & fugam non maturaſſe. Mirum, hoc avium genus nondum inter familiares volucres in chorte educari, cum ſit meleagride gallopavone fœcunditatis laude vix inferius, dapibus autem prius, nec difficilem tutelam habeat, granis, herbisque, & ſponte natis animalculis ſe implens. Aliud otidis genus Franciæ indigenum, quod *Tetrax Linnæo* dicitur,

quo-

quoniam nec ipſi vidimus, nec a quoquam viſum accepimus, a campis noſtris prorſus abeſſe videtur.

Cum iter ſomno non abſcinderemus, ſub ipſum noctis, & diei divortium Baranyenſem Provinciam ingreſſi ſumus, nec multo poſt ad *Nádasd* pertigimus; quem locum idcirco nominamus, quod hunc inter, & *Quinque-Eccleſias*, in quam urbem circiter tertiam poſt meridiem horam invecti ſumus, frequentes interſunt montes, collesque, per quos via ſinuatur. Eorum plerosque marga argilloſa, quosdam granite, alios lapide arenario, quem ad poſtes, liminaque portarum, & feneſtrarum ambitus artifices effingunt, conſtare vidimus. Sed nec metalliferos deeſſe argumento eſt ferri fodina propter viam in pago *Puſzta falu* paucos ante annos, qua, neſcimus, fortuna cœpta.

Quinque-Eccleſiæ, Baranyenſis Provinciæ urbs unica, per imam, leniſſime acclivem montis *Metſek* partem porrigitur, domibusque non ſua ſemper mole, ſed ſoli elevatione in altitudinem creſcentibus, per quasdam quaſi contignationes faſtigiatur; quæ res longe venientibus jucundiſſimum præbet aſpectum. Qua parte ſeptemtrionibus advertitur, monte *Metſek* protegitur; ad meridiem vero campum non ad libellam æquum, ſed modicæ altitudinis clivis ſparſum, pratisque, agris, ac lucis amœniſſime varium ſpectat, propter

quod illius situs præcipuam semper laudem apud Hungaros habuit; sed & Musulmannis eam in deliciis fuisse indicio est, quod plurimis eam fanis, balneisque, & aquæductibus exornaverint. E veteribus hujus urbis decoribus, quæ doctissimus *Salagyius* in laudatissimi sui de *statu Ecclesiæ Pannon.* Operis Libro IV. Cap. II. breviter complexus est, solum superest princeps templum D. Petro sacrum, structuræ magnificentia paucis in Hungaria inferius, mole autem omnibus prius. In eo præter plurima, postes portæ præcipuæ ad solem occidentem spectantis attentionem nostram ad se traxere, quod e candidissimo alabastro, intersertis nitido e granite sectis columnis structi sint; quæ genera lapidum, quoniam ea e longinquo advecta fuisse, difficile ad fidem est, in vicino quopiam monte cubare suspicio est. Civium præcipuus proventus e vino est, quod non copiosum modo, sed etiam generosum, & optimo gustu commendatum faciunt, meridianæ collium vitibus insitorum positioni suffragante & cœli statu, velut in minore Solis declinatione, calidiore, & ipsa soli natura, radicibus vitium in mobili plerumque calcareo lapide, argillosæ glebæ permisto hærentibus. Sunt tamen, quibus id vinum non placet, quod calcem e solo ad se trahere existimatur. Quæ opinio forte ex eo enata est, quod sint quædam vineæ, quarum solum candidum est; quod nos non calce, sed

mar-

marga argilloſa alba conſtare deprehendimus. Quamquam quis neſcit, etiam calcem aqua, vel aura mitigatam, atque agro ingeſtam mutata natura in inertem calcaream humum abire, cui quævis plantæ, & ipſa frumenta ſine noxa lætiſſime innaſcantur? Qui urbana hæc faſtidiunt, ruſtica ſibi vina e vicinis oppidis *Sexard*, *Siklos* & *Vilány* acceſſunt, quæ & merito ſuo, & quæſtorum induſtria aliquam etiam apud exteros celebritatem aſſequuta ſunt; quin & in colle ſeſquihoræ itinere ab urbe diſtante, a S. Nicolao appellato, vinum fluit jucundum æque, ac generoſum, quod cum in nulla ſuſpicione ſit, generis etiam nobilitate commendatur, malleolis Tokaino in eam vineam traductis.

Quoniam non plus, quam diem, Quinque-Eccleſiis reſedimus, nullum nobis otium fuit ad vicinos circum montes perluſtrandos, quos ſive lapidum, ſive plantarum non quotidianarum feraces eſſe, non dubitamus. Ad ſolos colles acceſſimus, quorum omnis pene materia ab imo usque ad medium altitudinis modum, ſive ſub tenui arenario ſaxo, ſive ſub leviſſimo humi integumento lithantrax eſt, a quo, ubicumque pluviæ aquæ ſibi viam fecere, aut curruum rotæ veſtigia reliquere, carbonis inſtar nigreſcunt. Quæ res per ſeſe jam inſolens, eo etiam majorem habet admirationem, quod & vites, quibus omnis horum collium modus

conſi-

consitus est, & intervacantibus inter vineas spatiis arbusta lætissimo incremento procedant. Quod primum sub humo occurrit stratum, schistus est, nonnunquam cineritius, plerumque tamen nigrescens, plurima mica permistus, & minimarum concharum vestigiis impressus, friabilis præterea, & ad auram in pulverem fatiscens. Huic lithantrax substernitur, primum fragilis, & ex facili sub dio distabescens, deinde solidus, aterrimus, splendensque, nec raro colores iridis nitidissimos remittens, illi simillimus, quem in monte S. Stephani in Francia reperiri scimus, halitu etiam vel sulphuris sive flavescente, sive rubeo, vel acidi vitrioli, ubicumque rimis hiat, mucoris instar afflatus. Ejus usus, velut nondum in maxima lignorum caritate, nullus est, præterquam in fabrilibus paucorum officinis, an absque ferri injuria? ignoramus. Locus vix sesquihoræ intervallo ab Urbe versus orientem abest, & est cava, atque irrigua inter minores a *Metsek* procurrentes montes intercepta, a meridie in septemtriones arcuatim flexa vallis, cujus latus unum colles, quos diximus, lithantrace fœti circumeunt, concava superficie in occidentem & meridiem spectantes, convexa ad montes fere applicati. Valli nomen *Peri-csesma* a Musulmannis datum est, quod nostra consuetudine *Perii fontem* diceremus.

XII.

XII. Kalendas Julias *Tſepinum*, quoniam diei itinere is locus *Quinque - Eccleſiis* abeſt, pervenimus. Via primum clivoſa, quoad *Siklosinum* non inelegans oppidum perveniatur; deinde plana eſt. Cumprimum prægrandem, & in tenue acumen faſtigiatum montem *Harſány* prætervecti ſumus, deſpicere cœpimus campeſtrem illam regionem, quæ Danubio, Dravoque perluitur, & per partem Hungariæ non exiguam, Sclavoniæ autem præcipuam porrigitur. Difficile dictu eſt, qua voluptate animus perfuſus fuerit, cum oculi regionem una velut contignatione humiliorem, quaquaverſum æquiſſime perlibratam, nec ſiccaneam, aut ſterilem, ſed irriguam, & campis, paſcuisque, & lucis amœniſſime diſtinctam intuerentur, nec poſſent omnem extenſionis ejus modum complecti. Unum doluimus, quod plurimas vidimus paludes, & immenſa terrarum ſpatia arundinetis, & carectis deformata, quæ ſiccare, & frugibus, paſcuisque aptare cura nondum fuit. Ea tum a floribus *Senecionis paludoſi*, qui auream cymam ſupra arundinem extulerat, pene tota flaveſcebant. Quoscumque autem campos via intercidit, eos levi purpura tinctos vidimus, quod *galegam officinalem* eo tempore floribus copioſe ſe induentem nil minus frequenter ediderint, quam ſi ejus ſemine conſiti fuiſſent. Eam plantam udis, & pinguibus locis delectari, ſed, quod mirum, a pecoribus

nunquam carpi obſervavimus. Eadem in regione Sclavoniæ campeſtri, & humecta ubique obvia; in provincia Poſegana montibus clauſa, ſiccaque ſe nobis non obtulit, niſi ſolitaria, triſtique habitu, præterquam in humilibus ad *Illovam* amnem, rurſumque ad medicatas in *Daruvár* aquas adſitis locis, quibus frequenter comparuit.

Quamquam æſtuoſa hac anni tempeſtate ſiccatis paludibus *Darda Eſſekinum* expeditum foret iter, ſi ruſticam tenere viam placuiſſet, eam tamen, quæ longioris temporis eſt, elegimus, ut per novam, manibus hominum nuper exaltatam viam in urbem inveheremur. Ea via *Eſſekinum* inter & *Bellye* intereſt, perductaque eſt ad lineam recta per ſummum aggeris audaci, & digno priſcis Romanis opere paludibus inſtrati, ternisque magnificæ ſtructuræ pontibus interciſi, atque utrinque perpetua proceri incrementi ſalicum ſerie marginati, futura perpetuum ad poſteros monumentum providentiæ MARIÆ THERESIÆ AUGUSTÆ, in quod Hungari, Sclavonesque immenſos pene ſumtus liberaliter contulere. Agger hic Dravo ipſa urbis mœnia alluenti, & ſublicio per eum fluvium pertenſo ponti adverſus fere occurrit, ſtructusque eſt, ut ponti olim *Eſſekinum* inter & *Dardam* continuis paludibus inſtrato, ſed ſubjectis ignibus abſumto ſuppleretur, & tolleretur aliquando infamia, qua

fre-

frequentissimus ex Hungaria in præcipuam Sclavoniæ urbem transitus a seculo notabatur. Qua re multum jam præstitum est. Sed restat præcipuum, & Principe dignissimum opus, siccatio paludum, quæ magnam Hungariæ, Sclavoniæque ad Dravum adjacentis partem inutilem reddunt. Quam in rem unice necessarium est, novum Dravo, velut pigris aquis gliscenti fluvio alveum parare, ut recto, nullisque flexibus impedito itinere celerius fluere consuescat, properetque, quas sæpe aliunde immodicas accipit, aquas in Danubium potius effundere, quam mediis terris inferre.

Essekinum situm est in regione plana, & campestri, ad sesquihoræ distantiam silvis denudata. Eo loco coloniam *Mursam* celebrem in historia Romana Pannoniæ Saviæ urbem stetisse, nemo jam dubitat. *Mursam* autem ab Imp. *Ælio Hadriano* conditam fuisse, cum solus hactenus *Stephanus Byzantinus* auctor fuisset, nunc etiam testis est inscriptio sarcophagi hoc primum anno in suburbanis Budæ, quæ *Neustift* vocant, inventi, quam Cl. *Schönvisner*, rei antiquariæ in Universitate Professor, nobiscum communicavit, potestate facta, ut vulgaremus. Ea talis est:

D. M.
G POLLIO. G. FILIO. DOMO COL. AEL
MVRSA. MARCIANO VET. LEG. II. AD.
EX CA. QVI VIX. AN. LX. CC. POLLI. MARIN
IANVS. ET MARCELLINA. ET MARTINA
FILI. ET HEREDES PATRI PIISSIMO. F. C.

 Hodier-

Hodierna Urbs modici ambitus, ſed decora, vallis, foſſisque egregie munitur. Suburbia & ampla, & frequentia ſunt. Sed cum nos ruris divitiæ ab urbe avocarent, nihil pene in ejus decora intenti, nec plus, quam horam in ea morati *Tſepinum* properavimus, & cum ſole occumbente pervenimus etiam. A viro ſpectabili *Joanne Capiſtr. Adamovich* S. C. R. M. a Conſiliis, cujus juribus tota circum regio obnoxia eſt, pro nota in omnes humanitate, & veteri in nos benevolentia comiter, & cum gaudio accepti triduum reſedimus. Quod tempus, etſi ad imperata negotia feſtinantibus longum, pro rerum tamen, quæ ſe nobis undique præbebant, varietate breve videbatur.

Quæcumque circum terræ maturis jam pene ſegetibus flaveſcebant, aut herbis, graminibusque lætiſſime virebant, eæ paucos ante annos inutilia, hominibus, pecudibusque inacceſſa ſtagna fuere. Nemini tantum aut animi, aut voluntatis fuit, ut aquas terris detrahere auderet. Quam tamen rem vir hic non audacter minus adgreſſus eſt, quam feliciter perfecit, nihilque minus præſtitit, quam ſi novas Regno terras adjeciſſet; majore idcirco jure earum poſſeſſor factus, cum eas ab aquis vindicatas rei publicæ reſtituit, quam cum ære comparavit. In ſolo fundo ad *Tenye* pertinente 500000 orgiis quadratis hodie pecorum greges impaſcun-

ſcuntur, in quibus ante binos ſolum annos lucii ejus magnitudinis, ut femur hominis craſſitudine æquarent, retibus implicabantur. Feliciter evenit, ut ſolum nullis ſcaturiret fontibus; propter quod patentibus ſolum, nec crebris ad *Vukam* flumen perductis foſſis, cumprimum aquæ, quæ cultorum ſeu negligentia, ſeu imperitia per ſeculum forte reſederunt, inveteraveruntque, delapſum habere cœpere, campi ſiccati ſunt, paucis lacunis retentis, quæ precibus ruſticorum conceſſæ ſunt, ut eſſet in vicino, ubi canabis, & linum macerari poſſet. Deterſis aquis difficillimam expoſcebant operam cumuli terrarum, qui ad radices arundinum, caricumque exaltati, inæquales campos fecere. Iis tollendis aratri quoddam genus vir nobiliſſimus commentus eſt, cui pro vomere prægrandis, non ad perpendiculum normatus, ſed ad libellam diſpoſitus culter eſt, quo quaſi quadam dolabra cumuli abraduntur. Eos ille in concavos acervos compoſitos primum aura, ſolibusque ſiccari patitur; mox igne ſuppoſito in cineres urit, quibus campos recenter ſiccatos ſpargit, ut ſint fœcundiores. Ita ex iniquiſſima loci qualitate habet aliquid, quo eum meliorem reddat. Atque hactenus fere induſtria cultoris pertinet, reliqua natura perficit, cujus in creando novo ceſpite mira eſt feſtinatio. Paluſtres enim plantæ pratenſibus celeriter adeo locum ceſſere, ut niſi *poam palu-*

ſtrem, *euphorbiam* etiam *paluſtrem*, *ſcutellariam galericulatam*, & paucas alias humoribus amicas plantas reperiſſemus, dubitari potuiſſet, fuerintne unquam his campis aquæ immoratæ? mirabamur maxime *trifolium fragiferum* in pabulo pecorum utiliſſimum denſatis adeo caulibus creviſſe, ut non forte, ſed e jacto ſemine exiiſſe videretur.

Hactenus cura iis ſolum ſtagnis impenſa eſt, quæ pigras, & fere cœleſtes tantum continebant aquas; nam quæ perennibus ipſo e ſolo manantibus fontibus aluntur, quæque plus e piſcium pretio ſpondent, quam terra e frugibus reddere poſſet, vivariis piſcium relictæ ſunt. Ejus naturæ eſt ingens illa aquarum moles, quæ pervetuſtæ arcis *Koloſvár* rudera circumit, ejusque eſt ambitus, ut a ripa ad arcem, cum breviſſima eſt, duarum horarum ſit navigatio; de qua tamen temporis mora multum detrahi oportere exiſtimo, quod navigationem arundinum, ſalicumque, quibus oræ piſcinæ ad magna ſpatia ſilveſcunt, impervia fere denſitas impeditam faciat. E medio lacu exigua emergit inſula, hominibus, præterquam piſcatoribus, inhoſpita. In ea & horti veſtigia ſupereſſe feruntur, & arbores pomiferæ, & mira craſſitudine vites a ſeculo forte depoſitæ, quæ plurimas ſtupenda mole, ſapore autem ſuaviſſimo uvas ſingulis annis perferunt. Eamdem aterrimi, humani brachii craſſitudine angues

fre-

frequentare dicuntur, mites adeo, & innocui, ut piſcatoribus ſomni cauſſa humi ſtratis medii ſine noxa interjaceant; propter quod eorum aliquem mactare nefas ducitur, ne cæde unius irritati cæteri manſuetudinem deponant.

Inſula hac anni tempeſtate omnibus, præterquam iis, quibus cœnum non ſordet, inacceſſa fuit, quod conſumtis ſiccitate, quæ arundines interluere ſolent, aquis pedeſtri ſolum itinere ad ipſam piſcinæ oram perveniri poſſet; quod propter humi mollitiem intutum eſſe conſtabat; merſis in cœno lumborum tenus hominibus. Qua in re malam noſtram fortunam maximopere incuſavimus, dolentes, occaſionem nobis ereptam ſive plantis ſtagnorum incolis, ſive diverſis, & forte novis aquatilium volucrum generibus, quarum greges non ſolum aquas has frequentant, ſed etiam inter carecta, ſalictaque piſcinæ prætenſa copioſam pullitiem educant, ſine labore potiendi. Juvabit tamen paucas, quarum quasdam accepimus, alias jam quondam eodem e loco miſſas Mutum Muſæo intulimus, recenſere. In his ſunt *ſcolopax calidris, gallinago, limoſa*;

Scolopax glottis? Roſtro ſurſum recurvato, toto nigro; corpore ſubtus niveo, pedibus vireſcenti-nigris. Rectrices extimæ, in altero noſtro ſpecimine ſunt albæ fuſco faſciatæ, in altero totæ albæ immaculatæ.

Scolo-

Scolopax totanus? Roſtrum rectum baſi rubellum, apice inflexo nigro. Collum, pectus & abdomen alba fuſco maculata. Uropyghium niveum. Rectrices omnes albæ fuſco faſciatæ. Convenit noſtræ deſcriptio *Gmelini Itinerarii* Tom. III. pag. 254.

Ardea comata Pallaſii Itinerarii Tom. II. pag. 715. In noſtro ſpecimine dorſum non eſt violaſcens, nec jubæ alarum caudam excedunt.

Ardea magnitudine, habituque *comatæ* ſimillima, ut ambigui ſimus, ſitne ab ea ſejungenda? Ejus hæc eſt deſcriptio: Capite lævi, fronte & collo ſupra, infraque ſordide albo, teſtaceo, nigroque longitudinaliter liturato, e pennis ex ſordide albo in dilute teſtaceum vergentibus, nigro marginatis; tectrices alarum teſtaceæ; abdomen, uropyghium & femora alba; remiges priores ſex dimidiato fuſcæ, albæque apice fuſco, ſcapo nigro; ſecundariæ albæ ſcapo albo, poſtremis duabus a baſi usque ad medium albidis, inde usque ad apicem teſtaceis; rectrices albæ, duabus mediis apice dilute teſtaceis. Roſtrum album apice nigrum. An ſolo ſexu a præcedente diverſa?

Ardea obſcura. Tab. II. Occipite criſta dependente penna alba. Fronte, vertice, & nucha obſcure caſtaneis; dorſo, & tectricibus alarum obſcure caſtaneis, atque aureo-

vire-

virescentibus. Collo superius castaneo - ferrugineo; inferius, & pectore, abdomineque castaneo - albo - ferrugineoque longitudinaliter lituratis. Remigibus obscurius castaneis apice macula alba, rectricibus castaneis. Rostro recurvo virescenti - nigro. Pedibus virescentibus brevibus. Statura, & habitus *ardeæ stellaris*. Cum eadem *stellari*, & ardea 7ma *Krammeri* novam divisionem facit; nam ceteris & rostrum brevius, magisque curvatum, & collum crassius, & pedes breviores, robustioresque habent.

Præter hæc ardearum genera, sequentia etiam occurrunt: *ardea Ciconia alba*, & *nigra*, *ardea alba*, *ardea* 3^{ia} *Krammeri*, tota alba, crista dependente, rostro superius nigro, inferius albido, pedibus nigris, duplo minor ardea alba *Linnæi*.

Pelecanus pygmeus. *Pallas* Itin. II. pag. 712. Tab. G. In nostro specimine puncta per collum sparsa nivea rarissima. Caput, & collum superne, & ad latera castanei coloris; Pectus, & corpus inferne tectum plumis obsolete fuscis castaneo marginatis, abdomine cano fusco maculato. Tectrices alarum nigræ, limbo undique atro denticulato, dentibus fuscis. Gula murina, rostro edentulo, pedibus nigris.

Colymbus urinator? pedibus lobatis, capite lævi, pileo e castaneo nigrescente. Collo supra, dorso, & tectricibus

alarum teſtaceis, hinc inde ferrugineo tinctis. Corpore ſubtus albo; remigibus primariis obſcure caſtaneis, ſecundariis albis, quæ faciunt maculam alarum quieſcentium albam; roſtro albo, mandibula ſuperiore ſupra coloris nigri a baſi verſus apicem attenuati. Linea nigra inter oculos, & roſtrum.

Charadrius illyricus. Tab. III. Caput, collum, & dorſum dilute fuſca maculis longitudinalibus e fuſco nigreſcentibus, penna qualibet circa ſcapum utrinque profundius fuſceſcente. Pectus & corpus ſubtus fuſceſcenti - album lineis longitudinalibus fuſcis. Abdomen ſordide album. Orbita oculi alba. Lineæ duæ, alia ab oculo, alia a roſtro ad aures, includentes aream albam. Alæ forcipatæ; remiges primores nigræ, quarum duæ primæ medio macula alba lata; ſeptima, octava, & nona apice macula alba; mediæ fuſcæ, intimæ longæ fuſcæ. Rectrices faſciis albis, fuſcisque variæ. Roſtrum a baſi ad narium extremitatem cæruleum, inde nigrum. Pedes cinerei, femora ſeminuda. Magnitudo corvi monedulæ.

Rallus puſillus. Pallas Itiner. III. pag. 700.

Rallus dubius. Magnitudo fulicæ chloropi. Facies obſolete ferruginea. Gula ſordide alba collari fuſco lato cincta. Abdomen album. Vertex, cervix, dorſum fuſco, & obſolete ferrugineo liturata. Latera corporis fuſca; hypochondria fuſca lituris obſoletis transverſis ferrugineo - cineraſcentibus.

Remi-

Remige prima extrorſum longitudinaliter alba. Roſtrum, pedesque nigro - vireſcentes.

Sed nulla major varietas, quam accipitrum, quorum ea eſt temeritas, ut hominum neque præſentiam, neque tumultus veriti in ornithonem perſæpe involent, ut præda potiantur. Eorum aliquos jam ita recenſebimus, ut ſi, quod ſemper facere inſtituimus, certa fide aſſerere nequeamus, ad quam e notis ſpeciebus volucris referenda ſit, ejus deſcriptionem pro nomine lectori daturi ſimus.

Vultur percnopterus. Femina tota fuſca, lanugine capitis, collique alba.

Vultur cinereus auctorum. Mirum, cinereum adpellatum, cum ſit colore fuſco - nigreſcente, fereque nigro propiore. Eum triquetra, nigraque, faſciis dilute fuſcis marginata gulæ macula ab aliis ſecernit.

Falco oſſifragus.

Falco cera luteo - viridi; cinereus; maculis abdominalibus longitudinalibus ferrugineis. *Krammeri* Elench. No. 12. pag. 329.

Falco cinereus. Caput, collum, pectus, & dorſum cinereo - cæruleſcentia, immaculata. Remiges primores ſex ſupra atræ apicis limbo cinereo, infra a baſi ad tertiam longitudinis albæ; reliquæ ſupra cinereæ, latere interiore albæ, in-

ſra fere totæ albæ. Rectrices duæ mediæ totæ cinereæ apicis limbo ſordide albo, ſcapo fuſco; reliquæ latere exteriore anguſtiore cinereo; interiore albido faſciis transverſis cinereis plerumque non integris; ſcapo vario, ad faſcias fuſceſcente, alibi albo. Corpus inferne, abdomen, & cauda inferne, femoraque alba immaculata. Cera luteo-viridis. Roſtrum nigrum, pedes lutei alti. An forte femina præcedentis? An accipiter ſub-cæruleus *Briſſ.* Ornith. I. pag. 106.

Falco cera flava, cauda ſubfurcata faſciata, corpore caſtaneo-ferrugineo, capite albidiore. *Krammer Elench.* No. 5. pag. 326.

Falco marginatus. Caput & dorſum fuſco & ferrugineo varium, pennis fuſcis ferrugineo marginatis. Tectrices alarum & caudæ fuſcæ apicis limbo ferrugineo. Remiges omnes fuſcæ faſciis pluribus obſcurioribus apice albo-ferrugineo. Rectrices fuſcæ faſciis quatuor latis fuſco-nigreſcentibus albo utrinque marginatis, apice albo. Corpus inferne totum ferrugineum maculis longitudinalibus, ſubovatis, fuſcis, pennis ſingulis ferrugineis, ſcapo, & utrinque a ſcapo fuſcis. Cauda inferne albeſcens faſciis tranſparentibus. Cera cæruleſcens. Pedes lutei. Magnitudo Gallinæ.

Falco Niſus.

Falco æruginoſus.

Falco

Falco rubiginosus. Caput totum albescenti - luteum genis utrinque rubiginosis; Corpus inferne totum albescenti-luteum macula in pectore irregulari rubiginosa. Corpus superne fuscum, tectrices alarum fuscæ apicibus albescentibus. Remiges fuscæ, latere exteriore cano, interiore fusco fasciis albis pluribus. Rectrices fuscæ, fasciis quatuor testaceis. Pedes lutei. Rostrum nigrum.

Falco subbuteo.

Falco cera lutea; pedibus, exceptis digitis, lanatis, corpore testaceo maculis nigris, capite, & collo albidioribus. *Krammer* Elench. No. 10. pag. 329.

Nullum pene est rei rusticæ genus, cui amplissimus duarum, triumve sibi adjacentium possessionum fundus, in æquam plerumque planitiem usque ad Danubium porrectus, inde in vineaticos colles leniter adsurgens, tali cultore non ultra se præbeat. De ipsa autem colendi ratione, quoniam nihil a nostra diversum habere nobis visa est, non attinet dicere. Inter familiares plantas hic non minus, quam in vicina Hungariæ regione *holcus saccharatus* locum habet, quod ejus panicula vice scoparum sit in usu. Semina ejus aves cohortales optime implent, sed raro granarium subeunt, quod prius quam maturescunt, a passeribus leguntur. Ab hac avium depopulatione immune est aliud *holci* genus panicula nutante,

racemosa, cujus tamen culturam hodie coloni abnuunt, quod folliculi semen ejus adeo arcte comprehendunt, ut pene extricari nequeat.

Præcipua, quoniam & quæstuosissima in hoc laxissimæ pastionis rure est parandi, tuendique omnigeni pecoris cura. In ea nobis placuit, quod pecora equina æque, ac bubula, præter equos nobilitate pretiosos, per summos etiam hiemis rigores extra stabula servantur. Sed nequid forte contristentur, in vasta tempestate in spatiosam aguntur aream. In ea sunt nubilaria ex una parte aperta, & id ab area, quo, cum libuerit, succedere possint. Qua re & valetudini pecorum plurimum consulitur, & agris quoque prospicitur, cum sit, quod in eos ex area exportetur.

Inter plantas sponte nascentes sola pene memoratu digna se obtulit *Glycirrhiza echinata*, eo etiam singularis, quod cum humilem, concavamque, nec quindenarum orgyarum quadratarum mensura majorem impleret aream, neque in campestri hac regione, neque deinde in montana, aut collina, utcumque eam requireremus, usquam comparuit. Locus hic situs est propter viam, qua e *Tsepin* in *Tenye* procurrimus, ut satisfaceremus amicissimæ invitationi Perill. D. *Antonii Adamovich*, qui eo in pago villam habet, in qua, quandocumque a negotiis provinciæ, cui a commentariis est,

otium

otium nactus eſt, operibus ruſticis vacat, nobiliſſimique Patris ſui imitatione curas inter rem publicam, & familiarem partiri diſcit. *Glycirrhiza* hæc noſtra, quoniam in quibusdam, quamvis non maximi momenti, notis ab echinata nobis cognita diſcedit, breviter deſcribi meretur. Eſt igitur ejus *radix fuſiformis unum & dimidium, quin etiam duos pedes longa. Caules ex eadem radice plurimi, frondoſi, ſulcati, glabri, trium, quatuorve pedum altitudine, non, ut apud* Pallas *in aprico, & ſub ſole humi ſtrati, ſed erectiſſimi. Petiolus foliorum communis ſtriatus breviſſimis, & raris pilis adſperſus. Stipulæ parvæ haſtatæ. Foliorum lanceolatorum paria 5-6, impari breviter petiolato. Flores purpurei, in ſpicam conicam, denſiſſimam ex alis foliorum longiſſime pedunculatam collecti. Legumen diſpermum, ovatum, compreſſum, ſpadiceum, baſi lævigatum, extremo echinatum.*

Ceterum in campis eadem, quæ ubivis, nota plantarum varietas, fereque ſola in ſicciſſimis locis *Centaurea calcitrapa* occurrit, quæ rarius alibi reperitur. In viis pedibus pecorum, rotisque curruum quondam obtritis, cumprimum ab injuria requieſcunt, *polygonum aviculare* frequentiſſime ſubnaſci, avidiſſimeque a ſuibus carpi obſervavimus. Incolis *verbaſcum blattaria*, quod *ambroſianam* appellant, in pretio eſt, quod caulis minute conciſi, ſpicæque decocto gutturis

malo

malo medentur. Idem alveo vice aquæ infusum, potumque suibus eodem gutturis malo laborantibus remedium est. Sed hoc efficacius apud sues decoctum radicis *arctii lappæ* esse dicitur. In agris obiter inspectis has fere satis internascentes plantas reperimus; *nigellam sativam*, *delphinium consolida*, *trifolium arvense*, *melampyrum arvense*, *stachin erectam*, *daucum carottam*, *bromum arvensem*, & *secalinum*, quo nulla alia segetibus magis infesta herba. In agris propter silvas positis *aristolochia clematitis*, in apricis *serratula arvensis* abundabat, atque hæc usque adeo, ut a pappo seminis ejus arva candidarentur.

In silvis nulla non arbor vulgaris, præter *acer tartaricum* frequentissimam tota Sclavonia stirpem, & quoddam *fraxini* ab *excelsiore* diversum genus, quod *ornum* esse autumamus. Nam *fraxinum ornum*, posteaquam illam ipsi annis abhinc quinque in *Vörös-berény* florentem reperimus, Hungariæ quoque indigenam esse, satis constat. Utrumque fraxini genus insedit *meloe vesicatoria* ea multitudine, ut congiorum mensura legi potuisset. Inter frutices *ligustrum vulgare* rusticis præcipuum est, quod aqua, quam cum ejus foliis coxere, dentes pecoribus lavant, cum eos vacillantes, & salivis fluidum os habent.

Non alia regio animalculorum feracior est. Eorum præcipua jam commemorabimus.

Scarabæus sacer. Linn.

Scara-

Scarabæus rufipes. Scopoli. Muticus, ſcutellatus. Capite, & thorace nigris piceis. Elytris rubro-nigreſcentibus, ſtriatis, marginatis. Pedibus, antennisque rufis. 3. lin. long. Thorax nitens admodum, convexusque dimidium totius longitudinis æquat.

Scarabæus ſpinipes. Scopoli. Muticus, ſcutellatus ſcutello exiguo. Caput viridi-æneum: Thorax lateribus, & antice teſtaceus, medio ſubfuſcus, & pro varia poſitione viridi-æneus, globoſus, corpore latior, punctatus punctis impreſſis, in lateribus (quod in nullo hactenus obſervavimus) poro magno aperto. Elytra lineata ſubfuſca, faſcia transverſa teſtacea duplici, aut rectius elytra teſtacea, lineis longitudinalibus bis transverſim interruptis. Pedes octo ex integro teſtacei, femoribus, exceptis anticis fuſco-nigris, valde craſſis. Tibiæ ſpinoſæ. Long. 4. lin. Thorax longitudine elytrorum.

Scarabæus pulicaris. Scopoli. Muticus, ſcutellatus, capite & thorace nigris nitentibus; elytris ſublineatis, antennisque rufis. Long. $\frac{3}{4}$ lin. Thorax cum capite dimidium longitudinis exiguo momento ſuperat.

Scarabæus hibridus. Scopoli. Muticus, ſcutellatus. Caput, thorax, elytraque colore profunde viridi aureo. In ſingulis elytris abdomen non tegentibus maculæ ſex impreſſæ

profunde ferrugineæ. Abdomen pedesque rubro-cuprei, villosi. Long. 4. lin.

Scarabæus æneus. de Geer.

Scarabæus mus niger. Voet.

Lucanus Caraboides. Linn.

Hister nanus. Similis *Pygmæo Linn.* sed minor; totus ater, elytris striis longitudinalibus nonnihil arcuatis tribus tenuissimis. Long. vix $\frac{1}{3}$ lin. *Tab.* VIII. *Fig.* 10. 11.

Curculio papillosus. Scopoli. An *tuberculatus Mülleri Zool. Dan.* Corpus, caput, antennæ atræ. Elytra, thoraxque a terra firmiter adhærente cinerea, tuberculis, seu papillis politis atris, in elytris quidem in series quatuor longitudinales dispositis, papillis in serie extima, & media maximis; in thorace irregularibus. Figura corporis totius subglobosa. Long. $2\frac{1}{2}$ lin.

Curculio hispidus. Linn.

Similis. Müll. Zool. dan.

Suturalis. Fabricii.

Icosandriæ. Scopoli.

Colva. Linn. *palustris.* Scopoli.

Syngenesiæ. Scopoli.

punctatus. Scopoli.

Silpha

Silpha atrata, *thoracica*, *quadripunctata*, *rugosa*, *ferruginea*, *scabra*. Linn.

Silpha porcata. Griseo - testacea, antennis nigris. Thorax lineis elevatis crassiusculis tribus; totidem tenuioribus longitudinalibus omnibus in quovis elytro. Intra lineas has pars interrupta lineolis nigris notata. Long. 1. Lin.

Attelabus mollis, & *ceramboides*. Linn.

Attelabus fasciatus. Scopolii *Notoxus*. Caput, & thorax nigra modice villosa. Elytra nigra aliquantum villosa punctis longitudinalibus impressis, fasciis flavis duabus, una in medio, alia ad apicem, angulo ad basim elytri externo rubroflavescente. Femora dimidio nigra, & testacea, velut & tibiæ, & tarsi. Pectus nigrum, abdomen testaceum. Long. 3-4 lin.

Cerambyx coriarius, *alpinus*, *tristis*, *scalaris*, *oculatus*, *imbricornis*. Linn.

Cerambyx hispidulus. *Hispido* Linnæi paulo major, ceterum illi similis, nisi quod fascia ad basim elytrorum lata huic nivea: item antennæ non rufescentes, sed nigræ, tertio a basi articulo ultra dimidium niveo, reliquis atris, annulis niveis.

Cerambyx fasciculatus. *Stenocorus Scopoli*. Habitu *hispido* Linnæi similis: sed thorax inermis; antennæ pilosæ, par-

te articulorum ſuperiore nigra, inferiore cinereo flaveſcente. Thorax & caput nigra. Elytra faſcia in medio alba lata, infra quam tubercula nodoſa, in ſingulis, duo, quæ junguntur linea alba verſus apicem elytrorum nonnihil procurrente.

Cerambyx bipunctatus. Stenocorus Scopoli. Caput, antennæ, elytra nigra. Thorax rubro - flavus punctis duobus nitentibus nigris. Pedes rubro - flaveſcentes, tarſis nigris. Long 3½ lin.

Cerambyx rugoſus. Stenocorus Scopoli. Niger, thorace ſubplano, nitente, fere orbiculari, ſubmarginato. Elytris rugoſis mollibus, ſub medium coarctatis, verſus apicem latioribus, ad baſim cupreo viridibus, ad apicem cupreo rufeſcentibus. Long. 5. lin. Idem Styriam etiam ſuperiorem incolit.

Leptura melanura, & varietates ejusdem, *ſanguinolenta*, *detrita*, *arcuata*, *arietis*, *præuſta*. Linn. *Dubia* Scopoli; *aquatica faſciata*. de Geer.

Leptura bilineata. Stenocorus Scop. Antennæ, thorax, pedesque nigra, ſcutellum album. Elytra nigra lineis curvis ad ſuturam verſus baſim elytrorum ſurſum coeuntibus; apice elytrorum albo. Long. 1½ lin.

Leptura rubens. Drionus ruber. Scop. Antennis, capite, thorace, elytris, pedibus, pectore, abdomineque con-

colo-

coloribus rubris. Femoribus ex rubro fuſceſcentibus. Long. $2\frac{3}{4}$ lin. A leptura rubra auctorum diverſa.

Leptura bicolor. Cantharis bicolor. Scop. Antennis, capite, thorace, abdomine, pedibusque rubro-flaveſcentibus. Oculis, pectore, & elytris nigro-cæruleis. Long. $4\frac{1}{4}$ lin.

Necydalis major, & cærulea. Linn.

Necydalis viridis. Solo colore viridi excepto, quo & caput, & thorax, & elytra colorantur, cæruleæ ſimillima.

Lampyris ſanguinea. Linn. *nigro-rubra.* de Geer.

Cantharis ſanguinolenta.

Elater ruficollis, caſtaneus, balteatus, teſſelatus. Linn.

Cicindela germanica, campeſtris, riparia. Linn.

Bupreſtis chryſoſtigma, & ruſtica. Linn. *roſacea, nebuloſa, hungarica.* Scop. *Cyanea.* Fabric.

Bupreſtis degener. Elater. Scop. Mucro pectoris deſideratur. Tota nigra. Oculi rubro-flaveſcentes. Thorax minutiſſime punctatus maculis tribus aurantiis, una in medio ad apicem, duabus in margine laterum ad baſim. Elytra longitudinaliter punctato-lineata punctis impreſſis, maculis ſubrotundis aurantiis octo in quovis elytro. Long. 3. lin.

Bupreſtis pannonica. Mordella. *Scop.* Magnitudine varia inter 3 & 4 lin. longitudinis. Variat etiam colore, jam viridi-

ridi - aureo, jam cæruleo, jam etiam violaceo. Antennæ nigræ. Caput, thorax, elytra concoloria, minutiſſime punctata punctis prominentibus. In elytrorum ſutura ad $\frac{1}{4}$ longitudinis ab apice puncta duo alba, in quovis nempe elytro unum. In annulo abdominis primo macula alba ſuperne, in 2do & 3^{tia} una inferior, altera ſuperior; in ultimo infra. Elytra attenuata.

Bupreſtis 22 punctata. Convenit cum degenere. Diſcrimen eſt in thorace huic magis convexo, & quod macula flava media deſideretur; marginales quoque maculæ admodum parvæ. In quovis elytro maculæ, aut rectius puncta aurantia undecima.

Bupreſtis flavo - faſciata. Habitu præcedenti ſimilis. Thorax absque macula cinereus a villis albis copioſiſſimis, ad baſim tubere lineari. Elytra faſciata faſcia aurantia duplici, ſupra, & infra quas punctum unum aurantium. Abdominis ſegmenta 3 ultima, & pectus a villis alba. *Tab.* VII. *Fig.* 12.

Bupreſtis dubia. Ex integro concolor, profunde fuſco - rubeſcens. Thorax minutiſſime punctatus admodum convexus poſtice ad latera quaſi dentatus. *Tab.* VII. *Fig.* 11.

Bupreſtis biguttata. Thorax niger, minutiſſime punctatus. Elytra lævia, exiguo intervallo a baſi gutta magna flavo - rubeſcente. Cetera nigra. *Tab.* VII. *Fig.* 13.

Tene-

Tenebrio mortisagus & *gibbus*. Linn. *tristis*, *capreæ*, *flavus*. Scop.

Tenebrio maxillosus. Scop. Alatus. Maxillæ admodum magnæ, crassæ, & porrectæ. Totus niger. Thorax globosus minutissime punctatus. Elytra punctata punctis profunde impressis, lineis duabus longitudinalibus. Long. 6½ lin.

Tenebrio scaraboides. Antennæ, pedesque testacea. Caput nigrum. Thorax & elytra a pilis albescentibus cana. Elytra lineata corpore breviora. Abdomen a pilis albescens. Long. ⅔. lin.

Tenebrio rufus. Per totum concolor, fusco-rubens. Thorax marginatus, subplanus, nitens. Elytra lineata. Latitudo fere ubique eadem 1. lin. Long. 2⅔. lin. *Tab.* VII. *Fig.* 4.

Meloides adamovichiana. Toto habitu similis meloe vesicatorio; sed antennæ admodum breves extrorsum crassiores, aut potius clavatæ. Maxilla cornea magna. Caput porrectum. Antennæ, pedesque, & maxilla testacea. Caput, thorax, elytraque flexilia viridia auro nitentia. Long. 4. lin. *Tab.* IX. *Fig.* 1.

Cicada hemiptera. Caput flavum, in fronte utrinque lineis subtilissimis fuscis parallelis novem versus os decrescentibus, nec non in parte capitis superiore maculis duabus nigris. Oculi pro diverso situ jam ex integro fusci, jam dimidio

dio flavi fuſcique. Thorax niger macula media flava. Elytra, corpus dimidium pene non tegentia, flava macula duplici longitudinali fere triangulari nigra. Pedes, & abdomen flava. Long. $1\frac{3}{4}$ lin. *Tab.* IX. *Fig.* 7.

Cicada viridis. Caput flaveſcens linea frontis longitudinali media intenſius flava. Inter oculos ſtemmata duo atra, atque inter hæc punctum atrum. Thoracis pars antica flaveſcens, poſtica viridis ſcutello flavo. Elytra viridia duabus lineis longitudinalibus pallidis prope hyalinis. Pectus & abdomen intenſe flava. Long. $2\frac{1}{3}$. lin. *Tab.* IX. *Fig.* 6.

Cicada dubia. Habitu *ſpumariæ* ſimilis, ſed dimidio minor. Caput flaveſcens apice frontis nitente nigro-fuſco. Thoracis pars anterior flava, poſterior fuſca. Scutelli apex acuminatus albus. Pectus nitens nigrum. Pedes omnes pallidi. *Tab.* IX. *Fig.* 8.

Papilio Camilla, Sybilla, Briſeis, Semele, & Hermione. Linn. *Europine.* Eſper.

Papilio Lucilla. Syſtematiſches Verzeichniſs der Schmetterlinge der Wienergegend. Alarum pagina ſuperior nigra, faſcia communi alba, in ſuperioribus e maculis 9, quarum duæ mediæ maximæ; in inferioribus 8; Præter has in diſco alarum maculæ albæ ſubrotundæ 4, & ad baſim linea alba. Alarum pagina inferior fuſco-cinamomea, faſciis iisdem. *Tab.* V. *Fig.* 5. 6.

Papi-

Papilio Leucothoe. Linn. *Tab.* V. *Fig.* 3. 4.

Papilio Kolosvarensis. Magnitudo Pap. *Prorsæ.* Alarum anticarum superne nigrarum maculæ aliæ fulvæ, aliæ pallide sulphureæ, cum fascia fulva venis nigris distincta; margo interior niger punctis minutissimis flavo-virescentibus. Alis posticis superne fascia triplex, suprema e maculis 7 flavis oblongis plerisque, media fulva punctis majoribus 6 nigris, infima nigra punctis 6 albis. Antennæ superne nigro alboque annulatæ, inferne ex toto fulvæ. *Tab.* IV. *Fig.* 5. 6.

Papilio maturna. Linn. *Tab.* V. *Fig.* 1. 2.

Bombyx ilicifolia, hebe, villica, plantaginis, furcula, curtula, aulica, graminis &c. Linn.

Phalæna noctua Batis, glyphica, leporina, sponsa, nupta, pacta. Linn.

Phalæna noctua variabilis. Cristata, spirilinguis, palpis recurvatis. Thoracis pars antica pilis testaceis, postica jam canis, jam griseis, jam griseo- viridibus. In tergo fasciculi 2 pilorum plerumque testaceorum, alias fuscorum. Alæ anticæ colore variant jam viridi, jam rubescente, jam olivaceo, fascia triplici, suprema latissima, in qua macula reniformis una integra, & una oblongo elliptica. Suprema hæc fascia a sequente dividitur lineis tribus, quarum extremæ pro vario situ vel pallide albæ, vel rosaceæ, media ejusdem cum fascia

ſubjecta coloris. In hac ad marginem interiorem macula flavo teſtacea. Infima faſcia ubique linea alba cingitur, habetque albas maculas 2, unam in medio, alteram minorem ad marginem externum. Alæ inferiores concolores. *Tab.* VI. *Fig.* 3.

Singulare quoddam animalculi genus carectis innaſci ferunt, quod ſi bubulum pecus cum herbis forte deglutiverit, certam mortem, inflato non multo poſt ventre, in viſcera recepit. Quocirca ruſtici, quoniam noxiæ hæ beſtiolæ in familias diſtributæ ſecretis hinc inde inter carecta ſparſis ſedibus habitant, ab iis pecora ſepibus abſtinent. Nos, cum hæc dicerentur, intelleximus, & antiquatam jam veterum de bupreſte, & nuperam *de curculione paraplectico* agreſtium in *Scania* querimoniam inſtaurari, quæ ſitne juſto, an levi, vel nullo momento concepta, quoniam neque animalculum, neque herbam, cui fere ſoli immorari dicitur, videre nobis conceſſum fuit, conſtituere non valemus, nec, ſi vidiſſemus, ſine aliquo rei ipſius experimento auderemus, eo minus, quod celebris *Linnæus* in ſimili accuſatione *phellandrium aquaticum* inter, & *curculionem paraplecticum* ambiguus, utrum damnaret, definire non eſt adgreſſus. Ab erroris periculo magis nos abeſſe exiſtimamus, ſi mortem potius a venenata quavis planta, manantibus ejusmodi locis creſcere adſueta, quam imprudens forte pecus carpſit, quam a beſtiolis, quarum aculei

per-

perſæpe venenati, ſed eſus plerumque innoxius eſt, conferri putemus.

Cum jam triduum in amœniſſima hac villa interquieviſſemus, VIII. Kalendas Julias ab ea Poſegam unius, ſed longæ diei itinere venimus. Eo via primum plana, & velut in regione perpetuis ſilvis obſita, annoſis quercubus obumbrata, deinde ſuperatis, qui Verötzenſi, Poſeganæque provinciis medii interveniunt, montibus, modicis clivis inæqualis, ſed plerumque aperta perducit. Quæcumque autem via ſilvis interjacet, ea non juſtam ſolum laxitatem, ſed etiam arbores ab utroque latere diſraratas, & deſectis fruticibus interlucatas habet, ut ad eam diſtantiam, e qua latrocinantium atrocitas mortem ex inſidiis ejaculari poſſet, ſilva ſit illuſtris. In hoc itinere, quod celeritas breve fecit, nihil legimus, præter *ſparganium erectum ramoſum*, & *ranunculum linguam* hic puſillum, ſed cujus altitudinis modus alibi longitudinem hominis multum excedebat, & *Oenanthen fiſtuloſam* propter ſtagnum in *Naſchitz*, quod oppidum Illuſtriſſimæ *Pejachevichianæ* genti obnoxium, montibus ſubjacet, qua parte ad Verötzenſem provinciam ſpectant. In eo accepimus exiguam ſulphuris portionem in quodam horum montium receſſu, qua aquæ pluviæ præcipiti lapſu foſſam cavarunt, inventam. Singulare in ea nobis viſum, quod cum rubeo ſatu-

ro colore ſit, nativum nihilominus, ſine alienigenæ alicujus naturæ, præterquam ejus, a qua colorem traxit, admixtione, ſulphur, nec ſandaracha ſit. Non dubium, quin, ſi, qua aquæ indicium fecere, adverſo itinere iretur, ad ſedem ejus materiæ perveniri poſſet.

Ab eo oppido via per ſummum montis non ſane parvi perducta eſt, quæ cum jam propter montis arduitatem jumenta defatiget, eo etiam viatorem moratur, quod male adcuratur, nec raro, crebris aquarum cœleſtium cum impetu ſe devolventium vi, foſſis cavata, vehiculis, hominibusque periculum creat. Montis ima, ſummaque pars argilloſa, ſiliceaque mediam quamdam materiam interjacentem habet, a qua, quoniam via nigreſcit, Conſ. *Taube* fugaci oculo falſus eſt, ut lithantracem eſſe exiſtimaret, errore eo majore, quo minus ad eam ſimilitudinem accedit, cum ſit potius molybdena, nec inanis, ſed argento penetrata. Cubat hæc materia in ipſo ſummo ſolo, viamque nigritudine inquinat; inde per arctiſſimam vallem, aut rectius per exeſam aquis foſſam perpetua vena in adverſam Poſeganam vallem continuatur.

Cum primum ad ſummum montis perventum eſt, ſimul nova ſe aperuit regio, extenſionis modo illa, quam reliquimus, inferior, amœnitatis autem laude vel pulcherrimis ſuperior; ſimul via non tolerabilem ſe modo, ſed, quan-

tum

tum immodica montis declivitas patitur, commodam etiam se præbuit, ut vel ex eo intelligi posset, ab eo velut termino Poseganam provinciam ingressos nos esse.

Posegam non inexpectati venimus. Jam enim ad inclytum provinciæ magistratum ab Excelso Regio Consilio mandatum perlatum fuerat, quo nobis consilio, reque adesse jubebatur, & commendatitiæ quoque literæ ab Excellentissimo supremo ejus provinciæ Comite pervenere; quod grati recolimus. Quamquam autem is magistratus, atque in eo præcipue is, qui vicaria potestate provinciæ præest, eo incitamento non egeret, gaudebat tamen id sibi potissimum imperatum esse, quo nihil provinciæ optabilius evenire potuisset, & jam per imperium licere, quod, si occasio se obtulisset, dudum voluntate fecisset. Intelligebant enim viri sagaces, probique, quanti & universorum, & cujusvis intersit, quæ provida natura cuivis regioni dona contribuit, ea perspecta habere, ne turpi beneficii ignoratione pretiosissimarum sæpe rerum, quæ forte sub pedum vestigiis imprudentibus sponte nascuntur, fructus ad nullum pertineat. Cumprimum igitur intellectum est, velle nos, quantum in ea festinatione liceret, oculos per provinciam circumferre, certatim omnes ad se invitare, consilio, re, operaque adjuvare, quæ nossent quisque, in medium conferre, paucis, nihil non agere, ut

brevis noſtra commoratio nobis jucunda, regioni utilis evaderet. Cui tantæ tot nobilium virorum in nos humanitati cum teſtimonium reddimus, ab ea jam nunc fraudatæ eorum expectationis veniam promittimus, tanto magis, quod eorum nonnullos non ſolum negotii noſtri fautores, ſed laborum teſtes, & fere comites habuimus.

Hoſpitium, menſamque, dum ea in urbe moraremur, AA. RR. PP. Ordinis S. Pauli primi Eremitæ liberaliter obtulere; quæ utraque eo libentius amplexi ſumus, quod non ignoravimus in ejus regiminis domo, & certius nos ſolum cubile habere, atque ea, quæ interdiu cœperimus, nullo interveniente ad lucubrationem veſpertinam facilius conficere, &, ſi forte animum relaxari oporteret, in optatiſſimo doctorum virorum conſortio reſpirare nos poſſe. Grammaticam, & amœniores literas hi Patres in ea urbe profitentur, mira & docentium cum contentione, & diſcipulorum profectu; cujus rei experientiam cepimus, cum literariæ adoleſcentum exercitationi intereſſemus. Gymnaſio præeſt R. D. *Georgius Barjactari*, vir ſacris, profaniſque virtutibus egregie politus, quem propitio Deo ſibi conceſſum provincia agnoſcit. Ejus viri humanitati plurimum nos debere profitemur. Præterquam enim, quod propter noſtram ſermonis Illyrici ignorationem interpretem ſe nobis præbuit, aſſiduus etiam in itineri-

neri-

neribus comes, in laboribus adjutor, in dubiis conſultor fuit.

Poſegana provincia perpetuis, atque fere in ellipticum orbem flexis montium jugis a reliqua Sclavonia, finitimaque Croatia ſeparatur. Hæc illi ab occaſu adjacet, a meridie confinia *Brod*, & *Gradiſca*, ab ortu & ſeptemtrionibus Verötzenſis Sclavoniæ provincia. Longitudinis ejus modus ab ortu in occidentem duodenis paſſuum millibus abſolvitur, latitudinis a meridie in ſeptemtriones binis. Qua parte montes e vicina Croatia accipit, arctiores valles gramine lætiſſime intectas, ſolum autem arabile collinum habet: deinde recedentibus paulatim a ſe montibus lateſcit, atque poſtremo in amplum ſe campum explicat præaltis undique montibus circumventum, quem *campum Poſeganum* adpellant. Eapropter ipſa natura velut indicium faciente in duas regiones provincia tribuitur, quarum alteram montanam *Proceſſum ſuperiorem*, campeſtrem aliam non excluſis, qui eam amplectuntur, montibus, *Proceſſum inferiorem* adpellant. Superior e quinis Dynaſtiis coaleſcit, inferior e denis. Utraque fontium, & fluentium aquarum multitudine irrigua, atque idcirco nunquam non herbis, graminibusque veſtitiſſima, perpetua juventa hilareſcit. Montium ipſorum non trux, horridusque aſpectus, ſed læta arduitas, ſilvis ab imo ad ſummum continuatis, aſpe-

ram-

ramque ſaxorum calvitiem occulentibus. In iis mirati ſumus, plerorumque omnium altitudinem non molliter aſſurgere, ſed ſubito attolli, eſſeque præruptam : ut appareat, immenſam illam aquarum molem, quam quondam eos continuiſſe veriſimile eſt, non leniter, pluribusque rivis defluxiſſe, ſed præcipiti lapſu uno alveo effuſam fuiſſe. Montium ſoliditas, etſi nuſpiam nobis hiare viſa eſt, non eſt tamen absque ſpecuum inanitatibus, de quibus nihil ad memoriam dignum ab incolis accepimus. In ſilvis conſtans arborum ſimilitudo, ſolis fageis ſaltibus cum quernis alternantibus, præterquam in ſummis paucorum montium apicibus, quibus pinus innaſcuntur. In monte *Pappuk ilex aquifolium* ſat frequenter reperitur. Ruſtici quercuum quatuor diſtinguunt genera: quercum *Cerris*, quam *Cer* adpellant. Ea nullum, præterquam lapidoſum, ſolum reſpuit. Utilis eſt fructu, ſed non materia, cujus ad ſolum fere lixivum ſalem uſus eſt; *quercum robur fœminam*, quam *campeſtrem* (*Luxnyák*) vocant, quod plano, pinguique campo optime convaleſcat. Glandes perfert ceteris majores, ſed materiam creat parum durabilem, & ad continendos liquores minime accommodatam; *quercum robur marem* raro & amaro fructu ſummis montium cacuminibus delectari ſolitam, quam *Ráſt* vocant; quartam *Kittnyák* adpellant. Ea pronis montium lateribus innaſcitur, eſtque fructu, quoniam

dulce-

dulcedinem, saporemque castaneæ imitatur, præcipua. Glandes perfert plurimas in cumulo sessiles calici mollibus & quasi sericeis squammis obtecto inhærentes; folio est amplo, pinnatifido, laciniis non remotis, trilobatis, obtusis, lævibus.

Tantæ cum sint silvæ, ferarum tamen pecudum exiguus est numerus, varietas autem nulla, raris tantum damis, iisque fere solitariis timide hinc inde pascentibus; quod in tanta sive autumno suum domesticorum ad fruges roburneas legendas, sive æstate bubuli & caprini pecoris ad herbas carpendas frequentia nullam habet admirationem, quoniam saltus magis, quam feris ad quemvis sonum trepidantibus conveniat, vocales sint. Non desunt tamen lupi, vulpesque, quin & binas lynces ante plures annos in montibus ad *Czernek* pertinentibus occisas fuisse, vir quidam gravis testis est. Quicumque autem sunt magis reconditi saltus, eos *bonasiæ* frequentant, ex universo volucrum genere in epulis præcipuæ.

Ceterum negari non potest, regionem omnibus pene naturæ donis cumulatam esse; quod cum in universum est verissimum, multo maxime in eum, quem *Poseganum* vocant, campum convenit. Pene cogitari nequit, quid in hoc non planæ semper positionis, sed clivis inæquali, arvis, pratisque, & lucis vario, crebris præterea amnibus interciso campo ad aptissimam rerum non solum varietatem, sed etiam distribu-

tributionem adjici possit, ut sit amœnissimus. Addunt ad regionis decorem viæ publicæ insigniter stratæ, & qua omnis provincia se porrigit, quaquaversum productæ, nihil optimis quibusvis inferiores, nisi quod, velut in minore commeantium frequentia, paulo sint angustiores. Earum beneficium, ut alia plurima, domestici æque, ac exteri viatores debent Excellentissimo Comiti *Antonio Jankovich de Daruvár*, provinciæ supremo Comiti, qui, cum anno 1759 provinciam vicaria solum potestate regeret, id opus adgressus est, & perfecit, invita tum quidem, ut in re nova, plebe rustica, quæ tamen hodie ejus auctorem faustis precationibus cumulat, neque ad aliud forte opus publicum libenter adeo operam suam commodat, quam ad semestrem quamvis viarum instaurationem.

Poscga provinciæ urbs unica adjacet montibus, qua parte ad septentriones spectant propter amnem *Orlyavam*, qui, quas e monte *Psuny* accipit, aquas properato ab occidente in orientem cursu primum cum *Lonya* ultra urbem miscet, & dein in Savum infert. Is amnis modicis plerumque aquis defluit, in pluvia autem tempestate, si subiti per montes volvantur imbres, aquas non continet, vastasque terrarum moles a ripis avulsas præcipites agit, vicinoque adimit fundo. Mirum, nondum alveum ad lineam rectum collatis in pu-

blicum

blicum ſumtibus torrenti huic amni paratum fuiſſe. De eo vetus, & certa eſt obſervatio, ejus aquas, ſi ſub veris exordium redundent, iterum circiter Pentecoſten, ac tertio extremo Julio, aut ineunte Auguſto velut definitis temporibus exuberare ſolere. Ultra eum urbs Poſegano, quem diximus, campo amœniſſima varietate oculis blandienti, & grati aſpectus montibus terminato advertitur, eaquepropter ad omnes cœli plagas aperta eſt, præterquam ad meridianam, a qua præaltis a tergo imminentibus montibus obumbratur. Ii, qua parte urbi opponuntur, arboribus, adverſa probæ, generoſæque fluxuræ vineis veſtiuntur, intercipiuntque ſub meridiano valles perpetua graminum luxuria, blandoque decurrentium rivorum murmure, & ipſa jam ſolitudine jucundiſſimas. Harum celebrior *Vucsák* cum ipſis urbis pomariis continuatur, habetque id ſingulare, quod ab ea perpetua ad urbem aura adſpiret, interdiu calorem mitigans, noctibus autem etiam frigora inducens, quæ ſole vix ſublato poſt æſtuoſiſſimos dies ſub dio pene tolerare non potuimus. In ipſa urbe medius aſſurgit collis vetuſta arce coronatus, quam a *Laurentio de Vjlak* duce Boſniæ, *Nicolai de Vjlak*, quem *Mathias Corvinus* regem Boſniæ dederat, filio ſtructam ferunt. Ceterum, præter terna bonæ ſtructuræ templa, & rara cæmentis, & calce forma-

 ta

ta ædificia nihil non materiatum eſt; quæ res in tanta lapidum e vicino copia juſtam nobis reprehenſionem habere videtur.

Cum diem unum neceſſariis humanitatis officiis conceſſiſſemus, nihil morati ſumus imperatum negotium adgredi, quæque evincendæ eventus maxime ambigui cauſſæ opus erant, tamquam ſpes ſubeſſet, ſedulo comparare. Atque in eo antiquiſſima nobis cura fuit, ut omnem eventuum ſeriem, ordinemque non dubia fama, ſed eorum, qui, quibus rebus ipſi interfuiſſent, easdem etiam cum fide referre vellent, non ambiguis teſtimoniis ipſo in loco penitus perdiſceremus, Perill. D. *Petro Tuchich* Iudice Nobilium ſciſcitantibus, reſpondentibusque interveniente, ut veriti magiſtratum coloni intelligerent, nos non vana ſciendi libidine, ſed Regis imperio e tam longinquo ad ſe acceſſiſſe. Quæ minutis etiam quæſtionibus tentati prodiderint, quamquam adverſariis noſtris diligenter inſerta habeamus, non attinet referre, cum omnia in idem competant, neque aliquid ab iis, quæ in principio hujus operis narravimus, diverſum habent. Nihil autem magis ruſticis non fraudem, non malitiam, non caſum ſuſpicantibus perſuaſum eſſe animadvertimus, quam incendiarios ignes aut ſub ſolo, aut libero in aere ſponte coortos fuiſſe, habuiſſeque aliquid prodigio ſimile. Sed nos prædamnata ſpe aliquid expediendi, quæ tempori, locoque apta eſſe exiſtimavimus, ſedu-

lo

lo agere cœpimus, ne ſeu imperio, ſeu rei ipſi deeſſe voluiſſe videremur. Quoniam itaque naturales quosvis ignes tribus potiſſimum generibus, ſubterraneo, electrico, & aereo contineri novimus, inveſtigandum erat, in quod eorum potiſſimum ea eventa convenire poſſent?

Et in principio quidem diſquiſitionis, loci ſitum examinandum eſſe duximus. Seſquihoræ diſtantia ab urbe Poſega in eo, quem diximus, campo medius aſſurgit tumulus quindenas, aut vicenas orgyas altus, latitudine autem inæqualis, in ſimilitudinem liræ in longitudinem orientem inter & ſeptemtriones ad duarum pene horarum diſtantiam diſpoſitus, & qua parte deſinit, montibus Poſegæ adverſis acclivis, herbis, lucis, frumentorum ſegetibus veſtitus, imo autem latere orienti objecto frequentibus manans fontibus, quorum aquæ, quoniam delapſum non ubique facilem habent, raris & modicis ſolum ſpatiis ſolum uliginoſum reddunt. Ceterum paludes, aut ſtagna ſub colle nulla, præterquam illud, quod *Slatinam* adpellant, quingentis & amplius pedibus a tumulo ſejunctum, quod hac anni tempeſtate cruſtam, preſſu pedum ſtrepidantem, duxiſſe reperimus. Solum ipſum eſt argilla flaveſcens, & fertilis, nuſpiam ſibi diſſimilis, & nulla in re ab ea diverſa, qua vicina omnis regio inſtrata eſt, nullis fiſſa rimis, nuſpiam dehiſcens, nihil ambuſtum, nihil horridum

ostentans. Sub tumuli exordium Posegæ obversum situs erat pagus *Eminovaz*, cujus locum hodie nicotianæ segetes occupant, solis prunorum arbustis vetere in statione relictis. Non longe inde abest, media inter utrumque silva, pagus *Alaginczi* ante tredecim annos structus, quem nullus unquam ejus naturæ ignis terruit.

Tale cum esset solum, illico apparuit, id numquam arsisse, eaquepropter ignes tectis, sepibusque rusticorum infestos in terræ visceribus conceptos non fuisse. Sive enim in aliqua sub summo solo altitudine fortuito inimicarum naturarum concursu, atque aliquo fermento coorti fuissent, sine fragore, & evidenti contremiscentis, atque diversimode hiantis terræ sensu exitum reperire non poterant: sive sub summo solo accensi fuissent, aliquo fumi, odorisque indicio se prodere, atque carbonum, cinerumque, & quæ sunt plurima alia, adustarum rerum vestigia reliquisse debebant. Depressa autem deinde scrobe patuit, locum ignibus nec idoneum esse, quod nihil sit ejus ad ardorem concipiendum appositum.

De igne electrico, quoniam, nisi in fulmen coeat, frigida plerumque sine viribus flamma lucescit, ne suspicari quidem nobis in mentem venit. Nam qui ad eum potissimum locum ita adfluat, ut per vices redundet? aut qui serenissi-

mo

mo cœlo in auras ſe intrudat ſine aliquo incumbentis nubeculæ vehiculo? aut qui ſilens dilabatur?

Supererat igitur, ut experiremur, poſſitne ſolum aerem exhalare, qui, quod aeri communi inſpiratus leviſſimo momento accendatur, *inflammabilis* adpellatur. Etſi autem exploratum nobis eſſet, id flammei aeris genus naturaliter e cœnoſo ſtagnorum fundo eructari, nihilominus tamen ſolum ipſum curam noſtram expoſcere videbatur, quod conſtet etiam metalla acidis in fervorem concitata non diſſimilis naturæ halitu vaporare. Ac primum quidem in aqua e vetuſto juxta locum incendii reperto, quinas orgyas alto puteo hauſta ſalem lixivum, quem alcali vegetabile fixum vocant, non modica copia ineſſe deprehendimus, manifeſto argumento, aut plantas forte illapſas in ea contabuiſſe, aut aquas in puteum regurgitantes in venis, per quas gliſcebant, eam materiam ad ſe traxiſſe. Sed de eo non multum laboravimus. Quamquam enim non dubitaremus, fundum ejus putei aliquid igniferi aeris reddere poſſe, quod aqua, quæ jam ab anno hauriri deſiit, ſtagnanti non eſſet diſſimilis, non tamen etiam ignoravimus, quemcumque aqua exhalavit ſpiritum, cum fuit in uſu, eum neque malignæ naturæ fuiſſe, nec, ſi fuiſſet, noxam dare potuiſſe.

Quam-

Quamquam autem jam e putei hujus parietibus ſatis conſtaret, terram usque ad quinarum orgyarum altitudinem argilloſam, fereque ſibi ſimilem eſſe, maluimus tamen novo ſub terram depreſſo ſcrobe, ad quem facilior eſſet aditus, ſtrata terræ propius intueri. Ea talia ſunt: ſub ſummo ſolo, quod eſt argilla flaveſcens humo permiſta, jacet argilla e cinereo flaveſcens binorum fere pedum altitudine: huic ſubſternitur ſtratum e terra cinereo-flaveſcente, & argilla flaveſcente non æque compoſita, ſed e plurimis inæqualis ſeu magnitudinis, ſeu figuræ molibus, leviſſime ſibi adhærentibus, coacervatum, metallico quodam nigro-fuſceſcente halitu partibus interveniente; quod, cum ſtrato argillæ flavæ intercideretur, illi deinde usque ad quaternarum orgyarum altitudinem continuatur; neque enim, quod parietes ſcrobis ruinam, & mortem operis minarentur, ultra procedi oportere exiſtimavimus. Quod unicum operæ pretium e foſſione hac retulimus, ſunt globuli mixto illi ſtrato frequentiſſime inſperſi, magnitudine inæquales, ſed fere nuce avellana non majores, quorum extimus cortex niger, fuſcusque, medulla vero plumbi nitore eſt. Eos, ne *ferrum paluſtre fatiſcens* eſſe arbitremur, eo potiſſimum inducimur, quod tabeſcens quodvis metallum colore eſt obſcuro absque aliquo ſplendore metalli indice, cum quali numquam

ferrum

terrum paluſtre aut ipſi vidimus, aut a quoquam viſum intelleximus. Non eſſe tamen hos globulos absque omni ferro e cæruleo Berolinenſi, quod alcali phlogiſticatum *Bergmanni* e liquore nitroſo, ſoluta eorum materia ſaturo, in fundum detraxit, exiſtimare poteramus, niſi ſuſpicio fuiſſet, cæruleum non e materia ſoluta, ſed potius e lixivio decidiſſe. Eadem enim ſolutio inſtillato lixivio ſanguinis vulgata ratione præparato pulverem non cæruleum, ſed candidum dimiſit, ſuſpicionemque ferri a globulis removiſſet, niſi cum *fluore minerali* igne tractati copioſum, cum *fluxu* autem *nigro* optimæ etiam qualitatis ferrum reddidiſſent. Ceterum magneſiam mineralem via, ut ajunt, humida, ſicca vero exiguam argenti portionem e globulis elicuimus.

Quum nihil ad flammam exhalandam adcommodatum reperiſſemus, terram e ſumma ſuperficie ſublatam, & probe ante ſiccatam, in vaſe vitreo, quod *retortam* vocant, ſubjecto leni igne urgere inſtituimus, ut humorem redderet. E pondo tribus cum ſemiſſe unum pondo & novem ſemiunciæ liquoris empyreumatice fœtentis defluxit, qui ratione *Scheeliana* tractatus nonnihil aeris inflammabilis continere inventus eſt. Is liquor ſeu aura, ſeu igne ita totus vaporatur, ut nihil in fundo vaſis relinquat. Ab acido nitri odore privatur, quem cum acido muriæ in illum aquæ forti modice dilutæ

ſimilem vertit. A ſale autem tartari præter modicum fervorem nihil paſſus eſt. Cum alcalinis liquoribus mixtus odorem dimittit, atque volaticus evadit eo, ut poſt bina jam minuta nares, atque ipſos etiam oculos offendat. Adfuſa hepatis ſulphuris ſolutione ſulphur illico in fundum egit.

Sed hæc ad rem noſtram nihil magnopere conferebant. Curavimus igitur aerem, ſi quem terra exhalaret, ipſo in loco intercipere. Eapropter ſcrobem ad altitudinem binorum pedum eo potiſſimum loco, quo flamma emicuiſſe ferebatur, deprimi, atque aqua compleri juſſimus. Cum eam duos pene dies quietam paſſi fuiſſemus, commoto leniter fundo aerem per aquam emergentem collegimus, modicum, &, qualem jam ante animo præceperamus, nihil inflammabilem.

Sed hæc dixiſſe ſufficiat, ut appareat, nihil nos reperiſſe, quod naturalem cum iis, qui ferebantur, eventibus nexum habere videretur, remque nos, quam opinionibus, ſermonibusque hominum tractatam accepimus, ita, ut erat, obſcuram reliquiſſe.

His velut gravioribus curis, ne omne tempus in ſpem irritam tereremus, leviores alias interſerere non neglexímus, e quibus eas potiores habuimus, quas ad perveſtigandam vicinæ regionis naturam, quandocumque otioſis eſſe licuit, contuli-

tulimus. Ac primum quidem ſub ipſum commorationis noſtræ exordium IV. Kalendas Julias horis pomeridianis *Czernokinum* conceſſimus, ut Spect. D. *Stephani Markovich* Provinciæ Pro-Comitis invitationi ſatisfaceremus; quod eo libentius fecimus, quod propter dierum feſtorum religionem a ſolitis in *Eninovacz* laboribus vacandum erat, & ſpes fuit, hanc noſtram procurſionem non inutilem fore. Situm eſt oppidum *Czernek* in adverſa eorum montium parte, ad quos *Poſega* adjacet, eo loco, quo anguſta, ſed amœna inter montes a ſeptemtrione in meridiem diſtenta vallis in ampliſſimum, atque ultra Savum porrectum campum explicatur, abeſtque Poſega ternarum horarum itinere. Primum mons ſuperandus erat, quem *album* adpellant, quod, ſublato jam magnam partem tenuiſſimo humi integumento a ſubſtrata terra candidetur. Ea eſt marga argilloſa indurata plerumque amorpha, ſæpe etiam ſchiſtoſa partibus tactu facilibus; quæ ſi diu auram ſenſerit, in ſumma ſolum ſuperficie, nec facile ultra ſemiſſem lineæ friari ſe patitur, numquam, quod experiri nobis licuit, ex toto fatiſcens. Ejus uſus ruſticis, militibusque in inficiendis laneis veſtibus vice cretæ ſat frequens, in ſtercorandis autem agris nullus eſt; ſive quod in pulverem aut numquam, aut ſero dilabatur, ſive etiam, quod potior in ea ſit argilla, quam agris ingerere, quorum gleba argilla eſt, per-

iculo non careret. Fœcunditatis tamen laudem ei adimere non possumus, posteaquam in arvis monti subjectis paulo minus, quam mons ipse, candentibus lætas frumentorum segetes vidimus.

E monte devecti vallem ingressi sumus, e qua non ante exitus invenitur, quam *Czernekinum* perveniatur. Ea, cum per sese jam sit jucundissima, ex eo novam habet gratiam, quod via pomiferis arboribus septa est, quas Dominus fundi ante quindenos fere annos depangi curavit; nec cessat emortuas novis, recentibusque supplere, quarum aliquas recens insitas, atque adversus pecorum injuriam caveis circummunitas vidimus. Quæcumque per omnem vallis modum depositæ sunt, nobilissimi sunt generis arbores, velut, pruni, cerasi, pomi, pyri, sorbi, juglandes, & cratægi torminales, quæ, si fructu se impleant, non magis delicias iter facientibus, quam inemptum, jucundumque cibum rusticæ plebi præbent. Eam pomarii formam primus in Sclavonia agris induxit Excell. Com. *Jankovich*, in cujus possessionibus, quoniam arbores a plurimis jam annis depositas habet, viæ similitudinem hortensium ambulacrorum habent.

Qua parte vallis magis latescit, situs est pagus *Bacsindól*, cujus ordinatio ad reliquam hujus viæ amœnitatem non parum addit, providentiamque conditoris commendat.

Eum

Eum ille, cum coloni ante per varia montium diversi habitarent, ante annos non multos condidit, junctis inter se, sed non cohærentibus domibus, atque æqua utrinque a via distantia ad lineam dispositis, ut communiter habitantes coloni sæpius sub oculis domini essent, essentque in casibus subitis sibi mutuo auxilio. Viam inter, & domos media est mediocris jam incrementi mororum series non solum decoris, sed etiam quæstus caussa.

In extremo vico viam adversus secat amnis cum petroleo defluens, quod non longe a pomariis e prærupta, & argillosa ripa stillatitium accipit. Id aquæ supernatans primum illustre est, atque e flavo virescit; postea ipsa in aere mora offuscatur, coloresque iridis, præprimis flavum, aureumque, & viridem remittit. Haustum, atque in vase conditum cum aterrimo colore opacatur; clausum, ni sit, qua respiret, vas diffringit; cum recens haustum est, inflammari vel e vicino facile cum flamma e viridi flavescente, odore autem electrici succini deflagrat, nulla re post se relicta; sed cum inveteravit, flammam, subjectis etiam ignibus in fervorem concitatum, difficulter concipit, nec retinet; carbonibus autem ab igne candentibus adfusum, postquam deflagravit, scoriam relinquit. Idem largius stillare dicitur ad pagum *Paklenicza* in confinio Gradiscano situm, ad quem non accessimus. Utrobi-

que inutiliter cum aqua defluit, nullo id quæſtui, aut uſibus condente, poſteaquam ad axes rotarum pro axungia adhibitum expectationi non reſpondit. Mirum autem, nullo adhuc experimento tentatum eſſe, qua potiſſimum ratione mira ejus ſubtilitas, qua ſe in ipſos rotarum radios penetrat, alienæ cujusvis pinguitudinis admixtione temperari queat? quod ſi fiat, petroleum nil minus Sclavonibus quæſtuoſum evadere poteſt, quam quod in Occitania Galliæ provincia non longe a *Gabian* hauſtum, & ſecretis quibusdam materiis conditum per omnem Galliam pro axungia venditur. Perſis duplex petrolei genus in peninſula *Abſcheron* prope urbem *Baku* fluit: alterum candidum, liquidumque ad exteros plerumque exportatur, annisque ſingulis 80000 florenos provinciæ Baku Principi valet; alterum, quod nigrum adpellant, huic noſtro ſimilius ad lucernas adhibetur, nec raro in foco, furnisque defectui lignorum ſupplet, quacumque terræ gleba in fornacem injecta, adfuſoque bitumine, &, cum id combiberit, accenſa.

Czernek in ipſo Poſeganæ provinciæ, & Gradiſcani militaris tractus confinio poſitum oppidum, & culta ruſticarum ædium ſimplicitate, & populi frequentia, & vel maxime amœniſſima poſitione commendatur, tergo, atque utroque latere montibus protecto, fronte autem ad patentiſſimos

mos ſub meridiano ſole campos , interluentemque eos Savum objecta; a qua parte etiam novam Gradiſcam, quæ eſt præcipua militaris ſtatio, non plus quam ſeſquihoræ itinere diſtantem ſub oculis habet. Decor loco accedit tum ab æde, temploque Patrum S. Franciſci inſtituto viventium, qui ſacra loci curant, tum a caſtello, quod quadrata forma ædificatum, foſſaque circumventum, uno abhinc anno inſtauratum eſt, maſculo nitore, qui talem ſtructuram deceat, non neglecto. Ab eo oppido nomen accipit ampla, ſed fere montana poſſeſſio, cujus præcipuus proventus e ſilvis, & inactis in eas ſuum gregibus eſt, ſecundus a pomariis, poſtremus e frumentis, vineisque. Quodcumque autem triticum in inæquali hac regione naſcitur, id probum, atque ad piſtrinarum opera laudatiſſimum eſt, fereque emtorem reperit prius, quam demeſſum, aut tectis illatum ſit. Propter quod non opceſſat fundi dominus, quodcumque ſpatium ad colendum opportunum eſſe exiſtimaverit, id dejectis arboribus aperire, ut frumentorum ſegetibus ſerviat. De pomariis, aut rectius, de prunorum arbuſtis non dubium, quin major ex iis tota hac provincia ſit reditus, quam e vineis optime cultis, quod populo præ illo e prunis igne exaltato liquore, ac velut ſpiritu, quem *Slivovicza* adpellant, nullum vinum probatur. Non mirum idcirco, prunorum ſationem potiorem illis eſſe,

quam

quam vitium, ſæpiusque arbuſta, quam vineta plantari. Eorum aliqua hic primum vidimus, extenſionis modo paucis, decore vero nulli ſecunda, quod in diſponendis arboribus quincuncialis ordinum ratio ſervata eſt; non perflatu modo utilis, verum & aſpectu grata, quocumque modo intueare, in ordinem ſe porrigente verſu.

Quoniam officii potius, quam rei cujusvis gerendæ cauſſa ad Pro-comitem convenimus, biduo non exacto Poſegam reverſi ſumus, ſponſione data, redituros nos, cum primum vacui fuerimus, regionemque, quæ magnæ rerum varietati opportuna nobis viſa eſt, luſtraturos. Interea vicini circum urbem campi intentos nos habuere. In plantis ſpe minor varietas ſe obtulit, ſive quod nulla terreni portio vacet, ſive etiam quod immodicus anni æſtus plantarum aut maturitatem acceleravit, aut flores decoxit ante, quam has terras ſubiremus. Paucas commemorabimus, quæ frequentius ſub oculis fuere, & ſunt ſequentes: *digitalis ambigua* ad margines ſilvarum ubique; *geniſta tinctoria* omnium pene frequentiſſima, ſed a communi tinctoria eo diverſa, quod caulem, foliaque piloſa habet, & eſt etiam foliis lanceolatis acutis, nec obtuſis; ad tincturas a ruſticis adhibetur; *cytiſus*, cui *capitati* Jaquinii, an *auſtriaci* nomen conveniat? dubii ſumus, quod nondum legumen fecerit; *Lavatera thuringica*, *Tanacetum*

acetum vulgare, *Buphtalmum ſalicifolium*, *Althæa officinalis* ß; *conium maculatum*, *artemiſia vulgaris*, cujus foliis, poſtquam ſiccitate aruerunt, vice fomitis utuntur; *Inula ſalicina*, *hirta*, *dyſſenterica*, & *helenium*, quæ poſtrema locis humectis in immodicam altitudinem exilit; ejus radicibus oves per hiemem alere, & vinum quoque vice abſinthii medicare ſolent; *Lycopus europæus* in ſicciſſimis, quod mirum, viarum marginibus ubivis obvius, e qualitate ſoli id ad ſe traxiſſe videtur, quod foliis ſit multo magis inciſis, atque in plures, longioresque, & acutiores lacinias diſſectus, quam loco ſuo aſſueto eſſe ſoleat; *Spiræa aruncus*, & *ulmaria* in umbroſis copioſæ. *Thalictrum flavum* ad foſſas, & margines viarum paſſim creſcens, incolis, a quibus *Valeriana* vocatur, in pretio habitum, quod ejus radice icterum curari multis, nec dubiis experimentis compertum habent. Ejus hæc eſt curatio: radices modice obtritas in aqua calido in loco, aut in ſole ſervata ſpatio duodenarum horarum macerant, quoad luteolo colore fiat; eam deinde ægro bibendam præbent; ſed curant tamen, ut, qui ea uti volet, pridie alvum purget. Hoc remedii genus imitatione horum hominum a nobis, Cl. D. Nob. *a Trnka* Patholog. apud nos Profeſſ. id probante, ægræ perſonæ Budæ adhibitum, icterum poſt alia fruſtra tentata feliciter depulit. In pratis potiora gramina ſunt: *cynoſurus*

cristatus, *holcus lanatus*, *phleum pratense*, nonnulla *agrostidum* genera, & *bromus pinnatus*, quem in fœno plurimum commendant; in locis humectis, aut umbrosis *airam cespitosam*, utilissimum pecoribus gramen, foliis, culmisque lætissime exuberare vidimus; huic sæpe adnascebatur *poæ* quoddam genus, panicula coarctata, magna, spiculis bifloris, glumis calycinis fere æqualibus, trinerviis, acutis; petalis acutis, glabris; caule erecto, striato, geniculis quatuor nigris albo marginatis, foliis latiusculis, glabris, deorsum scabris. Si qua parte vero pratum quodque humorem diutius retinuit, ea totum *trifolio agrario* obtectum comparuit; quam plantam, velut bubulo pecori jucundissimam, rustici in pretio habent.

De animalibus e toto sive quadrupedum, sive volucrum, aut amphibiorum genere nihil memoratu dignum accepimus; in consectandis autem animalculis mira fuit nostra felicitas. Horum præcipua sunt:

Scarabæus albo punctatus. Toto habitu similis scarabæo Eremitæ *Linn.* sed fere dimidio minor. In elytris singulis puncta 4 alba. *Tab.* VII. *Fig.* 1.

Scarabæus ovatus. Caput, thorax, & scutellum punctata. Antennæ, tentacula, & maxillæ rufo-spadicea, elytra

viri-

viridia obſcure ſtriata, ſtria media prope baſim elytrorum in tuberculum terminata. 3. lin. long. *Tab.* VII. *Fig.* 2.

Dermeſtes aſſimilis. Habitu proximus feneſtrali, thorace, elytris, corporeque ipſo æqualiter teſtaceis, capite nonnihil obſcurius colorato, oculis nigris. Elytra longitudinaliter ſtriata. *Tab.* IX. *Fig.* 4.

Ptinus unicolor. Abdomine, capite, thorace, elytrisque fuſco-teſtaceis. Elytra longitudinaliter & ſtriata, & punctata. Variat magnitudine 1. lin. — 1½ lin.

Cerambyx poſeganus. Thorax inermis, niger, tuberculo ſub medium rubro prominente. Elytra fuſca punctata; pedes ſubrubeſcentes, ad juncturas nigro maculati; antennæ nigræ. Long. 2½ lin. *Tab.* VIII. *Fig.* 7.

Cerambyx ſubpiloſus. Antennæ nigreſcentes; thorax inermis cylindricus colore griſeo cinereſcente, uti & elytra, quibus faſcia una ſubalbida in medio, altera ad apicem. Long. 3¼ lin. *Tab.* VIII. *Fig.* 6.

Tenebrio ſylphoides. Antennæ moniliformes, fuſcæ; corpus fuſco-nigrum, pedes ferruginei; thorax in medio fuſcus, ad latera rubeſcens. Elytra ad baſim apicemque rubeſcentia, in medio nigra; omnia politiſſima. Latera thoracis poſtica marginem elevatum efformant. Long. 2. Lin. *Tab.* VII. *Fig.* 7.

Tenebrio dermestoides. Antennæ moniliformes extrorsum crassiores, 4 articulis ad basim ferrugineis, reliquis nigro cærulescentibus, ultimis autem 4 articulis ad apicem compressis. Caput, thoraxque pilis, licet brevibus, consita, primo obtutu tamen glabra apparent. Elytra obscure lineato-punctata. Color capiti, thoraci, elytris, & abdomini argenteo-cæruleus. Long. 3. lin. *Tab.* VII. *Fig.* 8.

Buprestis 18 *guttata.* Tota nigra. Thorax minutissime punctatus, & a pilis brevissimis albescentibus villosus. Elytra pro diverso situ jam nigra, jam profunde cærulea, maculis in quovis elytro novem flavis, longitudinaliter & striata, & punctata. Long. 5. lin. *Tab.* VII. *Fig.* 10.

Curculio sericeus. Caput, thorax, elytraque tomento viridi-flavescente sic tecta, ut nitore serici pro diverso situ resplendeat; ad suturam tomentum hoc copiosius confertum eam intensius coloratam efficit. Rostrum, & abdomen nigra. Pedes subcastanei. Long. $\frac{3}{4}$ lin. *Tab.* VIII. *Fig.* 1. quæ naturalem, & 2. quæ microscopio auctam insecti magnitudinem exhibet; quod hic semel monuisse sufficiat.

Curculio lythri. Antennæ apice ovato clavatæ rubescentes, quo colore & pedes. Rostrum, thoraxque nigra, nitentia. Elytra nigra, striata, punctis ad basim cujusvis elytri duobus albo-flavescentibus, striisque quinque etiam albo

flave-

flaveſcentibus, tribus ſcilicet in medio elytrorum, & duabus ad apicem. Long. vix 1. lin. In lythro ſalicaria. *Tab.* IX. *Fig.* 10 & 11.

Curculio ſalicariæ. Antennæ, roſtrum, & caput nigra; thorax ſubcaſtaneus, quem colorem fundo thoracis nigro pili breviſſimi inducunt. Elytra ſtriata teſtacea nigro punctata, punctis libero oculo vix conſpicuis, præterquam ad baſim elytrorum. Long. 1. lin. In lythro ſalicaria. *Tab.* IX. *Fig.* 12 & 13.

Cicada Thlaſpi. Capitis fronte pallide flaveſcente, parte vero inferiore e plurimis lineis ſubtiliſſimis parallelis ſubnigra. Thorax parte antica flaveſcens maculis 4 fuſcis, mediis duabus minoribus, lateralibus majoribus, poſtica fuſcus. Elytra fuſca a baſi usque ad apicem albo marginata. Pectus cæruleo-nigreſcens. Pedes & abdomen flava. Long. 2. lin. *Tab.* IX. *Fig.* 5.

Papilio tremulæ; e genere Nymphalium *Linn.* pertinetque ad *variegatos* auctorum eruditiſſimi, & numquam pro merito ſatis laudandi operis *Syſtematiſches Verzeichniſz der Schmetterlinge der Wienergegend.* Magnitudine *Jurtinæ.* Alæ anticæ fulvæ faſciis duabus ſinuatis, quas maculæ nigræ efformant; externus alarum margo limbo ſuo extimo lunulis albis terminatur; in inferiore pagina ala antica flavo rubens macu-

lis ſex nigris majoribus, totidemque pallide flavis; In alis poſticis pagina inferior faſciam flavam unam maculas duas albas in ſe continentem habet, alteram aliquantum pallidiorem flavamque ex areolis ſemiellipticis, in quarum ſingularum medio macula rotunda fulva; præter has ſunt etiam binæ faſciæ albeſcentes. *Tab.* IV. *Fig.* 1 & 2.

Papilio Cynthiæ. Zimetrother, unten blasgelb geſtreifter Falter. Syſt. Verzeich. der Schmetterl. der Wiener gegend. pag. 179. Et *Naturforſcher* 12. *Theil* ubi & icon eſt. *Tab.* IV. *Fig.* 3 & 4.

Noctua hymænea. Schwarzdorn Eule. Syſt. Verzeichn. etc. pag. 91. Alis ſuperioribus ſubcinereis, lineis undulatis nigris: inferioribus flavis, faſcia nigra duplici. *Tab.* VI. *Fig.* 1.

Noctua purpureo - faſciata. Pertinet ad *Venoſas* auctorum *Syſtem. Verzeichn.* Criſtata. Alæ anticæ fuſco - rubeſcentes faſcia rubro - purpurea linea tenui alba terminata, maculaque uniformi candido limbo circumventa. Ad angulum exteriorem lineolæ irregulares congeſtæ, ipſe vero angulus pallide roſeus. Poſticæ alæ cinereo fuſcæ polite nitentes. Magnitudo noctuæ oleraceæ. *Tab.* VI. *Fig.* 2.

Noctua variabilis. Hoc nomen merito uſurpat, quod in pluribus ſpeciminibus colorem præcipuum jam viridem, jam rubeſcentem, jam olivaceum, jam rubro - fuſceſcentem

eſſe

esse deprehenderimus. Character constans sunt fasciæ trinæ: suprema latissima in medio alarum posita tres maculas habet, supremam fere ellipticam, mediam subdimidiatam, infimam reniformem; fascia media $\frac{2}{3}$ priore angustior ad angulum interiorem alæ maculam profunde aurantiam habet; infima paulo angustior media est cum 2 maculis aurantiis una in medio, altera minima ad angulum externum. Fascia suprema discernitur a subjecta tribus lineis, quarum media fasciæ majori concolor, utraque vero extrema pallide rosea est. Alæ inferiores fuscæ pro vario situ nitentes. *Tab.* VI. *Fig.* 3.

Phal. Geometra trifasciata. Alis integerrimis. Alæ anticæ fasciis tribus in totidem partes fere æquales divisæ; fascia suprema ad basim pallide lutea punctis innumeris fuscis conspersa, & ad marginem exteriorem fusco - rubescens; media parte sua infima sinuata, utroque extremo profunde rubens, medio flavescens, itidem punctis fuscis conspersa; infima ipsam alam terminans colore cinnamomeo, punctis fuscis referta; pagina inferiore flavæ punctis rubescentibus plurimis, cum binis fasciis rubris. Alarum posticarum pagina superior in duas fere æquales partes dividitur, quarum superior rubro-flavescente, inferior rubro - testaceo colore est, linea intermedia transversa rubra e punctis confluentibus orta. Puncta fasciæ superioris rubescentia, inferioris rubro - flavescentia

nume-

numerosissima. Magnitudo Geometræ bilineatæ. *Linn. Tab.* VI. *Fig.* 2.

Pyralis barbalis. Linn. Conveniunt characteres præcipui omnes; sed palpi breviores dici non possunt. *Tab.* VI. *Fig.* 5.

Montium ad urbem adsitorum fere calcarea est natura, quorumdam etiam ferrata, lapidibus martio rubore tinctis. Ad pagum *Vidovacz* sesquihoræ itinere ab urbe distantem mons est marga argillosa constans, inter binas a septemtrionibus in meridiem vergentes angustissimas valles medius. Harum altera sparsa est lapidibus e monte delatis, quorum eadem est cum lapidibus ab igne subterraneo creatis similitudo, quosque idcirco *Ferber*, & nonnulli alii ad *lavas* conferunt. Massa sunt argillosa in lapidem durata fusca, rubeaque plerumque particulis calcareis jam rotundis, jam cubicis candidissimis, alias autem *scorillis* frequentissime inspersa, quam non raro stratum *quarzi* granulati nitidissimo virore tincti unum digitum, aut unum cum semisse crassum medium pervadit. Saxo illisi, aut malleo pulsati in partes dissiliunt, quarum planus fuit contactus, tenuissima, candidaque calcarea lamella inter utrasque intercepta, quæ, sitne ab aqua fortuitis lapidum rimis illata, an potius e calcareis, quas diximus, particulis quovis casu solutis ipsa in massa coorta, constitue-

re

re non fuit difficile, poſtquam plures his intermixtos lapides reperimus nullis calcareis particulis varios, quorum partibus eædem lamellæ intervenere. Quæcumque autem horum lapidum natura ſit, quam non ſatis exploratam nos habere exiſtimamus, id certum, nullum eo in loco ignis indicium ſupereſſe, nedum quamdam crateris ſimilitudinem; & eſt præterea mons ipſe neque altus, neque etiam utroque latere ſibi ſimilis, cum potius in adverſa parte e prægrandibus calcarei fuſco-cæruleſcentis lapidis molibus conſtet.

Ex eodem montium jugo in orientem continuato arenarius lapis plurimis concharum in calcem verſarum generibus ſparſus, & mica ruthenica quarzo amorpho ochra ferri luteola tincto connata, & terra fullonum anglicæ non multum diſſimilis, gypſum præterea fibroſum allata ſunt. Hoc, quoniam e pago urbi vicino, *Scoze* adpellato accepimus, dignum nobis viſum eſt, quod in natali ſolo inſpiciamus. Eo iter eſt per vallem *Vucſak* via primum plana, deinde leniter aſſurgente, poſtremo etiam ardua, quoad ad ſummum montis perveniatur, a quo pagus non multum abeſt, adverſo montis lateri, qua meridiem reſpicit, acclinis. Ab eo anguſta valle ſejungitur collis ſub humo marga argilloſa cineraſcente inſtratus, intra quam in altitudine paucorum digitorum ſub ſummo ſolo hærent informia lithomargæ fruſta ea copia, ut

in tempeſtate pluvia , colliqueſcente in aquis ejus pinguitudine omne circum ſolum candeſcere, & ſpumare videatur. In latere ejusdem collis, qua imbres alveum excavarunt, terram argilloſam plurimis ejus naturæ globulis, quales in *Eminovacz* ſe argillæ miſcuere, ſparſam reperimus. Ad pagum reduces, cum in chorte ruſtici paulisper conſediſſemus, & jam reditum in urbem pararemus, amice nobiſcum ruſticus expoſtulare, quod pro tecto, pabuloque equis conceſſo ne eam quidem gratiam redderemus, ut ſe proprio in cubili ſalutaremus. Æqua nobis viſa reprehenſio: ſurgimus, ingredimur: cum ecce menſam ſtratam, ſedilia diſpoſita, cibos jam illatos reperimus. Quamquam manducare non libuit, ſingulari tamen, & inexpectatæ viri humanitati tribuere debuimus, ut accumberemus. Erat dies Sabbathi, lautitiis nullibi, nedum in caſa ruſtica aptus; & erant tamen tres cibi appoſiti; cucumeres in lamellas ſecti, atque pipere, & aceto conditi; piſcis fumo ſuffitus modico cum jure; & quoddam pulmenti genus genti proprium, quod *Cziczvara* adpellant. Hoc poſtremum, velut novum, experiri placuit: cumque deguſtare ſolum conſtituiſſemus, jam etiam pene totum e patina exterſimus; adeo guſtu jucundum viſum eſt. Ejus hæc eſt confectio: quartæ parti canthari optimi e lacte cremoris tractam farinæ e Zea mays extritæ unam admiſcent, ſervantque leni ſuper igne;

cum

cum deinde ſatis in ſe concocta videntur, recentem, trium cochlearium menſura, caſeum, & bina ova addunt, nec multo poſt mixturam ad cibum paratam habent. Cum intercedendum ſermones miſcentur, profert ruſticus lapidem in vicino repertum: gypſum, quod *glaciem Mariæ* vocant, erat. Quærimus, longene abeſſet locus, quo repertus eſt? pene juxta pomaria adſitum eſſe reponit. Surgimus illico, ad locum adcurrimus, fodi curamus; cum ecce in ipſo propemodum ſummo ſolo non pauca ſolitarii gypſi, nequaquam rudis, ſed glaciati, illuſtris, plurimisque locis minutis cryſtallis adſperſi fruſta rhombi, cubive figura, poſt quemvis fere ictum molientis ferrum cum terra ſequuntur; quam rem operis, cum vineæ foſſionibus frequentantur, perpetuo evenire ruſtici referebant; manifeſto argumento, in majore ſub humo altitudine ejus gypſi majores, & forte nobiliores etiam maſſas depoſitas eſſe. Solum eſt argilla plaſtica pinguis, & gliſcens adeo, ut paucis ante annis ſummum ejus ſtratum, quo vertex collis tegebatur, poſt imbres in imam vallem defluxerit, plantis, quæ in eo hoſpitabantur, inviolatis. Plantæ in hac regione non aliæ, quam quæ maxime vulgares. E ceteris *Lavatera officinalis* ß, & *Xeranthemum annuum* eminebant, & propemodum luxuriabant.

Sed jam quotidianarum in ipſo pene urbis conſpectu procurſionum tædebat, quod nulla novitas alliceret. Eapropter V. Idus Jul. *Velikam* ex adverſo Poſegæ ſitum oppidum conceſſimus. Eo via eſt per *Mitrovicz*, ubi diem meridie diviſimus, in æde dominica a ſupremo amplæ huic poſſeſſioni præfecto liberaliter accepti. Vir hic non ruſticarum ſolum, ſed liberalium quarumvis artium curioſus paucas quasdam monetas apud ſe ſervat, quæ, cum novitate ſe non commendent, eo pretioſæ ſunt, quod in *Terſtjanovczi* poſſeſſionis Velicenſis vico ſint repertæ. Eæ ſunt Antonini, Gordiani, Maximiani, Diocletiani, & Valentini æneæ; Lucillæ vero Auguſtæ, & Nervæ argentei. In horto ad villam adſito, cui diuturna domini abſentia præter denſam arborum in ordinem conſitarum umbram omnem cultum abſterſit, apes operantur mella alveis rudi opere ſtructis inferentes. Eſt etiam ibi ædicula ſiccandis pomis aptata, in ſimilitudinem ſcrinii compoſita (*Tab.* X. *Fig.* 1.) atque in longitudinem potius, quam latitudinem procedens. Ima ejus pars e lapide, & cæmentis formata furnum continet cameræ depreſſæ forma, cujus altitudo exigua eſt, longitudo vero latitudini ædis pene æqualis; ſuperior materiata, in plures velut contignationes cratibus vimine textis diſcriminatur, ſed ita, ut tabulata ſingula, cum libuerit, exire, & rurſum intrare poſſint. In his poſtquam

poma

poma expanſa fuerint, atque ignis in furno concitatus, frons ædis valvis obmunitur. Cum deinde incaluerunt fructus, tabulata frequenter permutantur, fitque imum ſummum, ut æquabilius omnis humor excoquatur. Furni, quem in *Czerneck* vidimus, ſtructura in eo ſolum diverſa eſt, quod ſingulis contignationibus ſingulæ valvæ contributæ ſunt, ut ad quodvis tabulatum perveniri poſſit, quin cetera retegantur; quæ res ad id maxime valet, ne calor intra conclave receptus dilabatur. In utroque hoc genere peccari manifeſtum eſt, quod, cum lignis non multum parcitur, calor non per omnem ædis modum æqualiter diſtribuitur, fereque contingat, ut cum infimum pomorum ſtratum torreſit, ſupremum pene nondum calorem ſenſerit.

Mitroviczium inter, & *Velikam* via intereſt plana perpetuos inter agros media, probeque adcurata. Plantarum utrique ejus lateri innaſcentium eadem ubique ſimilitudo erat: frequentiores obſervavimus *ſaponariam officinalem*, *ſenecionem jacobæam*, *dipſacum laciniatum*, & *fullonum*, quæ genera promiſcue ſibi adnaſci non uno loco comperimus, & *echium altiſſimum.* Sed his copioſius *trifolium melilotus alba* in altitudinem, denſitatemque eam excrevit, ut poſſet quibusdam locis in ſepem tonderi.

Velika oppidum eſt montibus ad meridiem ſpectantibus ſubjectum, atque in faucibus binarum anguſtiſſimarum vallium poſitum, e quarum altera torrentem *Veliſchanka* cum impetu accipit. Frontem advertit Poſegæ, & communi ambobus campo, tergum vero acclinat monti inter illas, quas dixi, valles intercepto, cujus vertici arx quondam impoſita fuerat. Ejus moles e ſaxo calcareo conſurgit, cui per vices jam ochra ferri plerumque flavo-rubeſcens, nonnumquam fuſco-cæruleſcens candidis venis exarata, atque in lapidem durata, jam minera ferri alba (*Pflinz*) ſolitaria intervenit. Quæcumque cæruleſcit, ea eſt duritia, ut poliri ſe patiatur, nec longe a montis vertice hiatum non minimum implet; quo loco homines quondam ſaxum moliri cœpiſſe apparet. Infra hunc montem *Veliſchanka* verſus oppidum fluere properat, in quo plurimus ad molas ſeu frumentarias, ſeu fullonias ejus uſus eſt. Quotieſcumque tamen imbribus increvit, cum ſubitis ejus aquis colluctandum eſt, periculo eo majore, quod in pluvia tempeſtate validi aquarum cœleſtium torrentes e montibus devoluti amni adverſi occurrunt, eique ipſo in oppido ſe miſcent. Id ne fiat, ruſtici alveos coaſſant, transverſosque amni pontis in morem inſternunt, ut per eos alienæ hæ aquæ in vacuum ſolum innoxiæ decurrant. Domibus ruſticorum, quod alibi quoque obſervavimus, frequentes ad-

ſtant

ſtant *populi italicæ* (*turcicas* adpellant) turrium celſitate, quæ ſpontaneæ eo ſæpe propagantur, ut exſtirpari debeant. Agreſtibus alburnum ejus arboris pro ſubere eſt.

Quoniam *Velikam* circiter horam quartam pervenimus, ſatis adhuc diei ſupererat, ut vicinam regionem pedibus obire poſſemus. Primis igitur ſalutationis officiis apud RR. PP. S. Franciſci aſſeclas, quorum hoſpitio, convictuque uſi ſumus, defuncti ad viſendas thermas centum forte paſſibus ab oppido ſejunctas properavimus. Iis ſcaturit lacus pedes non amplius decem latus, longuſue, ſub monte calcareo ab ipſa natura formatus, cujus ori in ſubjectam profunditatem patenti providentia incolarum cataractam prætendit, per quam redundans aqua modico, ſed perpetuo rivo defluit, vicinoque cum amne ſe confundit. Nulla præterea ſalubri fonti cura adhibita eſt, nec tectum impoſitum. Aqua ſupra 84 gradum Fahrenheitiani thermometri non calet: odore eſt prope nullo: liquida præterea, atque in arcta adeo cum alienis naturis unione, ut ſive leni igne, ſive ſolo naturali calore vaporetur, nullum in fundo vaſis craſſamen deponat. Commemoratu dignum eſt, aquam hanc in lagena calido in cubili ipſos 13 dies ſervatam puram adeo, atque integram perduraſſe, ut errore aliquo in os accepta non magis guſtum offenderit, quam quæ eſt probiſſima. Atque hæc eo adhuc die.

Poſtri-

Postridie montes lustravimus. In ipso vallis, per quam *Velischanka* decurrit, aditu se offerunt mica fissilis, talcum lunæ, & aureum, & bina præterea talci genera, quæ auctoribus ignota esse videntur; saxum fornacum, saxum corneo-micaceum, & ferreum, schistus fragilis, & coticula, steatites argillosa lapidea stratosa, & argilla lapidea glandulosa, nec non schistus talcoso-argillaceus, in quo id mirum, quod in igne adeo non induretur, ut mollescat etiam, &, colore nihil immutato in tenuissimas fibras discedat, quæ tritu digitorum in minutissimum pulverem abeunt.

Hæc tanta lapidum varietas in interiore vallis recessu, præter talcum aureum quarzo pingui admixtum, disparet, locumque concedit quarzo, cujus inanitates jam ochra flava, rubeaque, jam quoddam talci genus fusco-cinereo colore implet, quodque e centenis pondo quaternas, quinasque semi-uncias argenti in igne reddidit. De ochra rubescente, quoniam acido nitri soluta instillato lixivio sanguinis cæruleum Berolinense in fundum dimisit, dubium non est, quin ferrum sit. In tanta quarzi frequentia unum fragmentum cum minera antimonii striata *Wal.*, bina cum minera cupri flava *Wal.* seu pyrite cupreo *Brunnichii* reperimus. Nec desunt silices, & petrosilices *Wal.* & in his præprimis petrosilex lamellaris.

Hæc

Hæc inter ſine ceſſatione ſemper ſcandendo in eam altitudinem pervenimus, in qua *Veliſchanka* naſcitur, atque illico per leniſſime declivia ſaxorum ſtrata diffuſus, frequentesque ceſpitum, & ſaxorum inſulas amplexus, blando cum murmure devolvitur. Amœniſſimo hoc in loco in ceſpite arboribus obumbrato ſtrati requievimus, quoad ad extemporalem focum alimenta laſſis pararentur, inter quæ (nam Veneris dies erat) primatum *Salmoni Farioni* dedimus & merito ſuo, & quod torrenti, ad quem adſedimus, ſit indigena, cui *cyprinus* quoque *gobbio*, & *cottus gobio* innatant. Ad delicias loci non parum addidit, quod forte boves a paſtu ad aquam actæ eo nobiſcum convenere, nobisque pene intermixtæ in umbra procubuere. Aderant cum pecoribus bini adoleſcentes, quos, dum cibum caperemus, editiore in loco adſidentes, atque manibus quidpiam molientes ſæpe intuiti ſumus. Quid faciant? quærimus. Cum propius acceſſiſſent, alterum tibialibus, alterum laneis vinculis, quibus linearum faſciculos in cingulum more gentis compoſitos frequenter adſtringunt, texendis occupari vidimus. Incerti, laborioſum juvenum ingenium, an dexteritatem magis miraremur, intelligimus, nullis unquam paſtoribus in hac regione diem a manuario aliquo opere vacuum abire. Quæ res ingenium gentis mire commendat.

L Quiete,

Quiete, & cibo recreati ad montes, quos *Malisbe* vocant, deflezimus. Eadem in his quoque lapidum genera; ſed præprimis quarzum cæruleſcens maculis flaveſcentibus, rubeisque frequenter, mica autem rarius ſparſum, e cujus quaternis ſemiunciis tres mineræ metallicæ ſcrupulos lotura evolvimus. Plurimum nobis placuit ſaxum, quod Ill. *a Born metalliferum* adpellat. Ex eo in minutum pulverem obtrito tres minimas nativi auri micas lotura evolvimus. Idem, cum igne urgeretur, granum argenti flaveſcens dedit, quod in acido nitri ſolutum nigrum pulverem dimiſit, ſed adeo modicum, ut ejus pondus æſtimari non poſſet.

Inde in alteram vallem degreſſi, ſub veſperum *Velikam* non modice defatigati pervenimus, eo minus contenti, quod nullam nobiſcum plantam retulimus, quæ ſe novitate commendaret. E paucis ſolæ fere nominari merentur: *Veronica montana*, *Prenanthes purpurea*, *tormentilla erecta*, *campanula trachelium*, *ſcutellaria peregrina*, *inula ſalicina*, *chryſoſplenium alternifolium*, *epilobium montanum*, *bryum ſcoparium*, *mœhringia muſcoſa*, *acroſtichum ilvenſe*, *aira alpina*, & *flexuoſa*, *carex panicea*, & *remota*. Saxis, quin & truncis arborum frequens innaſcebatur *polypodium vulgare*, cujus radice vice glycirrhizæ utuntur; humectis locis *aſplenium ſcolopendrium*, apertis autem, & decalvatis *Pteris aquilina* eo luxurians, ut ſpatium

imple-

impleret, aliis quibusvis plantis loco depulsis præter *lilium martagon*, quod stationem suam contuitum caput in filicto extulit.

Hos montes frequens incolit *lacerta stellio*, maximum suibus gulæ irritamentum, veteranis quidem innoxium, sed novellis sæpe periculosissimum; ni enim, quod illi faciunt, bestiolam ante aut pedibus obterant, aut dentibus dilacerent, mortem cum ea plerumque in os recipiunt, sive illa, quod alteri rustici dicebant, unguiculatis pedibus se tenaciter linguæ adnectendo, sive, quod alteri se vidisse prodidere, cauda in os plicata in orbem intra fauces se curvando, os gulæ, glutire volenti obstruat, spiritu intercluso.

Animalculorum hæc captura fuit.

Tenebrio Velikensis. Apterus; totus niger demtis tibiæ extremis, ac tarsis inferne flavescentibus. Thorax lineolis impressis minimis sic striatus, ut primo obtutu pilosus videatur. Elytra admodum convexa, striata lineis octo, ad apicem in cuspidem terminata. Femora pedum anticorum unidentata. Long. 2. lin. Habitat intra corticem & lignum fagi. *Tab.* VII. *Fig.* 3.

Tenebrio testudineus. Thorace polito nigro. Elytris in basi & apice rubro-testudineis, macula ovata utrique elytro

communi nigra in medio. Long. $1\frac{1}{4}$. lin. Habitat intra corticem, & lignum fagi. *Tab.* VII. *Fig.* 6.

Curculio nodulosus. Totus fusco - niger, brevirostris. In thorace puncta minuta impressa, irregulariter sparsa. In elytris puncta elevata, vel potius tubercula longitudinaliter posita. Long. $1\frac{1}{2}$. lin. *Tab.* VII. *Fig.* 16 & 17.

Curculio planirostris. Ad *anthrybos Geoffr.* pertinet. Antennæ fere moniliformes clava solida terminatæ, rostro depresso lato insidentes. Rostrum, uti & caput nigra: oculi parte inferiore linea alba cincti. Thoraci nigro punctula minutissima impressa. Elytra abdomen non ex integro tegentia punctis impressis minutis lineariter punctata, fascia in medio alba, lineisque longitudinalibus in quovis elytro notabiliter elevatis duabus. Pectus & abdomen pilis brevissimis albis consita. Femora, tibiæ, tarsique nigro, alboque alternatim annulata: in tarsis tamen triarticulatis articuli extremi cum unguibus nigri. *Tab.* VII. *Fig.* 14 & 15.

Buprestis biguttata. Atra, nitens, maculis ad basim elytrorum rubro - flavescentibus. Long. 2. lin. *Tab.* VII. *Fig.* 13.

Buprestis flavo - fasciata. Frons subtestacea, oculi fusci. Thorax e pilis brevibus tomentosus, albidus. Elytra striata nigra, punctataque; e singulis punctis pilus brevis albus.

In

In medio elytrorum, & prope apicem fasciæ flavæ, ad apicem item punctum unum flavum. Abdomen villosum album. Long. $1\frac{2}{3}$. lin. *Tab.* VII. *Fig.* 12.

Cucujus anceps. Genus *Fabricii.* In characteribus præcipuis convenit cum Cucujo planato Cl. *Fuesly*, aut cum Cerambyce planato *Linnæi*; at in antennis nonnisi 10 articuli sunt, pedes huic nostro rubescentes sunt, antennæ nigræ, labium nigrum; atque per hæc a Cucujo planato differt. In medio thoracis cavitates subrotundæ minores duæ, & in quovis latere una ovaliter elongata. Habitat intra corticem & lignum fagi. *Tab.* VIII. *Fig.* 5.

Phryganea luctuosa. Alis fusco - nigrescentibus subpellucidis. In antica pagina superiore striæ e pilis albidis octo longitudinaliter decurrentes. Striarum tertiæ, & quartæ a margine exteriore computando alia horizontalis sic occurrit, ut figuram Zifræ 4 efformet. In eadem pagina, parte inter angulum externum & internum intercepta striulæ item longitudinales novem. Nervi per alam decurrentes fusco - rubri. Antennæ nigræ apice fusco - rubescentes longitudine alarum anticarum. Palpi, pedesque rubro - testacei, post mortem pallidiores. Femora nudissima, tibiæ, tarsique nigro ciliati. *Tab.* VI. *Fig.* 6.

Quæ ſequuntur inſecta, nomen etiam genericum a nobis accepere, quod ea ad genera hactenus conſtituta referri non poſſe nobis videantur.

Denticollis bicolor. Habitu medium animalculum inter elaterem, & cantharidem, aut aliorum pyrochroas eſt. Antennæ longit. $\frac{1}{2}$. corporis, nigræ ſerrato-ſetaceæ, ſerra parte interiore antennarum. Thorax rubens in parte poſtica armatus utrinque dente ad angulum prominente, in lateribus marginatus, ſcutellum magnum nigrum puncto exiguo medio impreſſo. Elytra teſtacea punctata punctis impreſſis lineariter, mediocriter marginata. Pectus, abdomen, femora nigra, tibiæ, tarſique teſtacea. Variat tarſis etiam nigris. In femoribus pedum poſticorum lamella ad baſim, uti carabis eſſe ſolet. Vivens caput ſub thorace occultat more Cantharidum. Long. $4\frac{1}{4}$. lin. Habitat intra corticem, & lignum fagi, & quercus. *Tab.* VIII. *Fig.* 17.

Denticollis rubens. Antennis longitudine dimidii corporis, aterrimis, ſerrato-ſetaceis; capite atro, thorace profunde rubro ſulco uno medio, & duabus cavitatibus impreſſis, dentibus ad latera thoracis poſtice ſolidioribus, item lineolis duabus impreſſis obliquis. Elytra rubeſcentia, marginata, e punctis confertis, elevatisque ſcabriuſcula, lineis tribus longitudinalibus elevatis. Scutellum atrum, in quo ſulcus

exi-

exiguus medius. Pectus, abdomen, pedesque nigra. Lamella quoque in femoribus pedum posticorum. Long. fere 5. lin. Habitat inter corticem, & lignum fagi, quercusque. Hanc & superiorem speciem etiam ex alpibus Styriæ allatam vidimus. *Tab.* VIII. *Fig.* 16.

Corticcus unicolor, genus forte medium inter ligniperdas *Pallasii*, & Apate, atque Bostrichios *Fabricii*. Antennæ moniliformes, dimidia longitudine thoracis. Thorax oblongus undique marginatus. Elytra linearia obscure marginata. Caput exertum; omnia polita, & coloris fusco - castanei. Long. prope 3. lin. Habitu medius inter elateres, & buprestes minoris speciei. Habitat inter corticem, & lignum fagi. *Tab.* IX. *Fig.* 3.

Tenebroides complanatus. Antennæ moniliformes. Caput, thoraxque polita nigra, lineola e pilis brevissimis aureo flavis in thorace, qua caput excipit. Elytra quoque nigra striata. Habitu fere *lucani interrupti*, at multo minor, scilicet lineis $2\frac{2}{3}$. Habitat inter corticem, & lignum fagi. *Tab.* IX. *Fig.* 9.

In extremo oppido piscina est, cui, quum e sparsis circa ejus oram concharum domiciliis *Myam pictorum*, & *Mytillum cigneum* immorari intelligeremus, meminissemusque in mytillo hoc margaritas prope *Debreczinum* in Hungaria reper-

repertas fuiſſe, auctores incolis fuimus, viderent, facturine eſſent operæ pretium, ſi has conchas conſectarentur? Ternas hactenus margaritas inde accepimus, nitore indicis nihil inferiores, ſed minimi moduli, nec rotundos.

III. Idus Jul. inſpecta pila fullonia ruſtico opere, & mira ſimplicitate ſtructa, cujus iconem *Tab.* X. *Fig.* 2. exhibemus, actisque pro conceſſo tecto, victuque ſupra, quam optare potuimus, liberali gratiis Poſegam redivimus. Ea in urbe, quoniam perfectis, quæ in *Eminovacz* experiri nos poſſe arbitrabamur, omnibus nihil agendum ſupererat, non plus biduo morati, Idibus Julii iter in ſuperiorem, ut vocant, provinciæ proceſſum ſuſcepimus.

In ſecunda ſtatione ad vicum *Bucs* vel celeri oculo per regionem circumlato diverſa ſe obtulerunt corpora, quæ tempus in lapidem duravit, atque in his *echinus marinus* mediocri mole. Memoratu dignum eſt, quod, quæcumque ad animalium genus pertinent, ea in calcaream, quæ ex ligno mutata ſunt, in corneæ, aut jaſpidi ſimilem naturam tranſierint. Inde via per vallem inter calcareos, aut ſchiſtoſos montes perducta eſt, quoad *Pakraczinum* deveniatur. Dum feſſi novis, recentibusque equis permutarentur, ne tempus otioſis laberetur, viam præcepimus, juſſo curru nos inſequi. In pedeſtri hoc itinere primum *Cnicum eriſytalen* vidimus, locis

hume-

humectis ea altitudine crescentem, ut longitudinem hominis multum superaret. De eo non erit supervacaneum adnotare: hunc nostrum caule esse non unifloro, neque floribus nutantibus, cum eos potius plurimos habeat brevissimis pediculis in summo caule adgregatos, & pluribus foliolis subnatis arcte involutos. Qualem, cum semper hanc plantam reperissemus (reperimus autem deinde variis locis frequenter) ad Cnicum *Linnæi* hæc adnotari oportere arbitramur.

Nocte in *Pakracz* exacta properavimus *Kutinam* pervenire, inter quæ loca regio silvis, agrisque varia interjacet. Agros plerumque *panico miliaceo* consitos vidimus, quod rustica paupertas pane miliaceo vescatur, quoniam melius impleat, quam triticeus. Is gustu hebes, & propemodum aridus non facile in stomachum demitti potest, nisi si paupertas condiat. Hic etiam usum cylindri lignei ad glebas obterendas, & agrum æquandum rusticis esse vidimus.

Kutina oppidum est in confinio superioris Sclavoniæ, quam jam *Croatiam* adpellamus, positum, illustri comitum *ab Erdöd* genti obnoxium, neque alia re magis celebre, quam quod colles *Goilo* vicinos habet, in quibus vinum non gustu minus jucundum, quam generosum exprimitur. Vites in iis educantur neque humiles, nec contra arbustivæ, sed quæ Croatica consuetudine pedaminibus adquiescentes ad hominis

ſtaturam coercentur. Ab hoc etiam oppido hibernis menſibus per omnem provinciam venales deferuntur feræ anates, quæ in campo *Lonya* prætenſis ſtagno per ſumma frigora aperto plagulis maximo numero ſe implicant. In oppido nihil ſpectabile præter templum, quo nullum aliud nitidius, pictiusque in hac provincia vidimus, curam in id exornandum conferente viro probiſſimo, cujus eſt adminiſtratio ſacrorum. In ejus chorte forte vidimus vaſtum, ſed materiatum, ædificium ſolis vicenis circiter operis non magni molimenti adminiculis ſede ſua moveri, atque in alium locum protrudi, itinere per inſtratos terræ aſſeres facto, ſubjectisque moli phalangis, ut facilius gliſceret.

Quoniam non alia cauſſa in hoc oppidum conceſſimus, quam ut locum inſpiceremus, in quo ſolum arſiſſe conſtabat, non procraſtinavimus eo adcurrere. Abeſt *Kutina* fere horæ itinere, ſitusque eſt in prælta, & ſilvoſa monti *Zbeg* ſubjecta valle. Solum, quod ignem ſenſit, extenſione eſt modica, rotundo ambitu, in ſimilitudinem crateris concavum, atque herbis, dumisque ſilveſcens. Id ipſos 14 menſes arſit cum flamma, præterquam noctu, non conſpicua, ardore tanto, ut baculus ſolo intruſus illico flammam conciperet. Foſſione ſtrata terræ reperimus, quæ jam commemorabimus: Summum ſolum eſt pulla humus, in quam folia arborum

borum cadiva ſemper dilabuntur, altitudine fere unius pedis; huic ſubjacet argilla in lateres ſchiſtoſos, rubeosque ab igne uſta, altitudine inter unum & ternos pedes varia; poſt hanc terra admodum humida, atra, tactu facilis, ſed manum inquinans, e partibus figura, & magnitudine diverſis coacervata, cujus altitudo plerumque pedem unum, raro unum, & ſemiſſem æquat; huic aperta alia in vicino foſſa exigua lithantracis fruſta inmixta deprehendimus: infima eſt terra plaſtica cæruleſcens probiſſima, cujus altitudinis modum definire nihil attinebat. Idem in vicino ſtratorum ordo; ſed argilla humo ſubjacens flaveſcens eſt, & friabilis, partibus unionem non facientibus; nonnumquam etiam indurata. Non longe ab hoc cratere aquæ pluviæ profundum cavarunt alveum, in cujus lateribus ſub humo lithantracem ſchiſtoſum cubare deprehendimus. Indubium idcirco, diuturno illi igni pabulum lithantracem fuiſſe, qui, poſtquam lento incendio conſumptus eſt, in atram illam, quam argillæ igne duratæ ſubjectam eſſe diximus, atque aliqua pinguitudine inquinatam materiam, non novo exemplo verſus eſt. Qua autem ratione ignis terræ illatus ſit, ignotum. Veriſimile eſt, a ſubulcis absque aliqua eorum conſcientia ſuccenſum eſſe, quod non ſit incredibile, aliquam candentis ligni particulam per rimas in tam vicinum lithantracum ſtratum illapſam eſſe, a qua conceptus

 ignis

ignis in orbem ſe propagavit. In omni ſilva *Carpeſium cernuum* ſola planta fuit, quæ carpi mereretur.

XVI. Kalendas Auguſti iisdem, quibus venimus, veſtigiis, redivimus usque in *Gay*, quo meridiatum venimus, nulla re obſervata, præter *lythrum hyſſopifolia*, quod udo ſecus viam loco frequens innaſcebatur. Inde via in duas diſcedit, quarum illam nos ſequuti ſumus, quæ ad *Daruvár* perducta eſt. Tempeſtate fulminea, validoque imbre ſub tectum compulſi, in pago *Kaſtel* nocturna caſtra ponere coacti ſumus. Ab eo abeſt modico intervallo vicus *Kriſtallovacz*, in quo ſolum fonte ſcaturit, cujus aquas morbis mederi vulgus autumat, quantumvis medicatus in iis ſapor nullus intelligatur. Hanc in pluvia, ut tum erat, tempeſtate hauſtam, atque illico ad nos adlatam nulla re, præterquam modica dulcedine, a proba quavis aqua diſcrevimus. Quod vero liquida, nulloque ab imbre cœno inquinata eſſet, conjectura aſſequuti ſumus, eam e longinquo ſub terra adfluere, eoque magis, quod certa fide conſtaret, eam perſæpe folia, ſtrobilosque pinuum deferre, quæ arbores nonniſi in montibus, quorum eſt duarum horarum, & ſemiſſis diſtantia, reperiuntur. In eodem *Kriſtallovacz* tumba forte retecta eſt, in qua nihil reliquum erat, præter cingulum ſericeum auro picturatum. Sepulcro incumbebat lapis, cui inſculptum eſt ſcutum

cordis

cordis figura, gerens rotam rare dentatam cum binis ſe decuſſantibus radiis, in eaque leonem currenti ſimilem, gentilitium ſignum. Lapidem marginat ſcriptura charactere monaſtico:

Hic jacet egregius Ladislaus filius Hermanni de Gereben. (*) *Anno D.* 1489.

Peracta nocte, cum jam nubes cœlo depulſæ eſſent, brevi itinere ad *Daruvár*, egregia forma oppidum, pervenimus, cui, cum ab eo Excell. Comes *Antonius Jankovich de Daruvár* nuncupationem accepiſſet, eam reddidit gratiam, ut ex inglorio pago, qualis cum vocabulo *Podborje*, quod paſſim uſurpabat, paucos ante annos fuerat, in nitidum conderetur oppidum, ædium, vicorumque munditie, artificum frequentia, balneorum fama, adſiti ruris cultura, & inædificato ſumtuoſæ ſtructuræ palatio omnibus toto regno ſuperius. Situm eſt oppidum in ſpatioſo montibus intercluſo cam-

(*) Nobilis olim inter Hungaros familia, & cum ea, quæ de *Gereb* audit, ac Mathiæ Corvino ſanguinis nexu juncta fuit, neutiquam confundenda. Illa enim agnomen habuit *Bitthovecz*, ex qua Joannes litteris Mathiæ Corvini regis an. 1462. *Banus Sclavoniæ* ſubſcriptus legitur. Ex hujus genere Ladislaum hunc fuiſſe, veri eſt ſimillimum. Ita enim in laudatis litteris legitur: *Magnificorum, Martini de Frangepanibus, Segniæ, Vegliæ, & Modruſſiæ Comitis, & Joannis Bitthovecz de Gereben regni noſtri Sclavoniæ Bani &c.* Vide RR. D. Balthaſſ. Adami Kerchelich Notitias Præliminares. pag. 286.

po, adjacetque ad montem ſilvis virentem, per cujus imam clivoſam partem leniſſime aſſurgit, vicis ad lineam rectis, terminaturque palatio, cujus eſt pulcherrimus per omnem eam regionem proſpectus. Hoc inter & oppidum medium eſt templum rotunda forma ſtructum, triplici aditu, quorum cuivis advertitur angulus altaris triquetra forma in medio ſacræ ædis erecti, impoſita ei mole columnis eleganter marmoratis, ad ſingulos angulos binis, ſuſtentata, additis etiam principum in Chriſtiana profeſſione Virtutum ſimulacris. Circum ædificium fundi vacant, exſpectantes, ut in hortos, lucosque deliciis aptos efformentur. Non poſtrema huic oppido laus eſt a thermis, quas temporum injuria cœno obrutas, & herbis, ſentibusque ſilveſcentes, ac pene ignoratas Excell. Dominus de Daruvár reſtituit, advenarumque commoditati aptavit.

Salubribus aquis terra pluribus locis ſcaturit, quas priſcis neglectas non fuiſſe, repertæ ſub ſolo thermæ e ſectis lapidibus formatæ, refoſſaque cum iis antiquitatis monumenta ſatis comprobant. Ex iis nos ſolum lapidem vidimus, cujus hæc eſt inſcriptio:

DIVO
COMMO
DO RESPV
BLICA IA
S. O. R. V.

Conſ.

Conf. *Taube* aliam adhuc inscriptionem legit, quæ ubi servetur, ignoramus. Utraque testis est, thermas has & Romanis frequentatas, & eas sub ditione reipublicæ *Iasoru* fuisse, quam suis juribus, legibusque regi Romani volentes permiserint, non novo utique exemplo, cum liberas ejusmo- di respublicas Romanis terris & alibi medias interpositas fuisse satis constet, & aliquas earum in Pannonia Savia exstitisse do- ctissimus *Blaskovich* nuper docuerit. Hoc vero loco amplam etiam urbem stetisse, non dubitamus, quam a Romanorum ævo sejungere superstites adhuc sub solo muri prisca soliditate compositi, & refossæ politorum lapidum stupendæ moles, & plurima laterum jam sola costura a nostris diversorum fragmenta, & nummi quoque *Commodi Augusti* titulis inscripti non sinunt.

E pluribus, quæ sibi vicinæ e terra exeunt, salubrium aquarum venis una hactenus in plures lacus collecta est, qui parietibus in conclavia secreti & solos, si libeat, & multitudinem quoque admittant. Hæc ipsa tamen vena pluribus adfluere rivis videtur, quod diversis in conclavibus, nulla interveniente frigida, diversum caloris temperamentum habeat, eademque in illo, quod a domina nuncupationem accipit, cabalneo fere tantum tepeat, quæ in vicino immodico est calore. Eum nos solo sensu æstimavimus, quod thermometrum

nostrum

noſtrum vitium accepit, cui mederi deinceps non potuimus. Aqua ipſa pura, liquidaque, odore eſt ſulphuris modico, ſapore autem nullo, poteſtque, poſteaquam defrixit, ſine offenſione guſtus bibi. Leni ſuper igne cocta, quoad nihil ejus remanſit, calcaream exigua quantitate terram dedit, quæ neque ſalem reſipuit, neque humores, ſub dio poſita, ad ſe traxit. Eadem ad ſolam auram vaporata poſt binos tandem menſes ſalem alcalinum depoſuit, e quo non niſi creato calore humor depelli potuit, quo tamen poſtea, cumprimum liberam ſenſit auram, large iterum in ſe recepto contabuit. Solutio hepatis ſulphuris huic aquæ adfuſa leviſſimo momento ſulphur ex ea in fundum egit. A tinctura gallarum colorem aureum, a ſyrupo violarum e fuſco - nigreſcentem peragitata traxit. Cum ſolutione lunæ alcalina halitu metalli velut plumbeo parietes vitri adflavit, ſimilisque coloris lamellam, liquore conſumpto, in fundo reliquit, cui creberrimæ minimi moduli cryſtalli ſubjacebant. Ceterum metalli indicium in iis nullum.

Nec diſſimilis naturæ ſunt aquæ, quæ in adſito pomario large e terra exeunt, nulloque eas curante in lacunas diffunduntur, e quibus deinde perpetuo rivo exundantes cum iis ſe miſcent, quæ e balneo emittuntur, factoque itinere ad molam per ſumma frigora numquam ceſſantem ad-

fluunt.

fluunt. Eas curationibus hominum claudere inutile visum, quod, quæ jam usibus aptatæ sunt, in advenas quosvis ægros sufficiant. Non est autem quidquam prætermissum, quo advenarum non solum necessitatibus, sed etiam commoditatibus consuleretur. Præterquam enim, quod taberna diversoria juxta balneum ædificata est, spatiosus etiam campus duplici arborum, ramos in se implectentium, ordine circumseptus est, ut, sive apricari cui libuerit, id molli in cespite stratus possit, sive umbra placuerit, sub viridi arborum tecto nullo unquam solis radio contingatur.

Quicumque oppido viciniores sunt montes, e calcareis lapidibus coaluere, quorum alii nulla alienigenæ materiæ admixtione adulterati in probissimam calcem uri se patiuntur, alii fissiles, argilla partibus interveniente in laminas nec textura, nec colore iis dissimiles, quas *Kalkhamerianas* vulgo adpellant, pavimentandis templis, ædiumque vestibulis adcommodatas, dissilire ex facili posse videntur. Sed id in molibus ex aliqua sub solo altitudine erutis experiundum restat.

Animalcula hoc itinere capta sunt perpauca. Præcipua sunt:

Scarabæus triangulum. Muticus, niger, scutellatus, scutello admodum magno triangulari fere regulari. Thorax punctatus punctis raris. Elytra striata. *Tab.* IX. *Fig.* 15.

N Curcu-

Curculio Salicis. Longiroſtris, totus ater, elytris ſtriis longitudinalibus ſubcrenatis; pedibus poſticis ſaltatoriis. Long. ½. lin. In ſalice. *Tab.* IX. *Fig.* 12 & 13.

Carabus flaveſcens. Caput, thorax, elytra, abdomen, & pedes flaveſcentia. Thorax politus valde, & latus. Elytra ſtriata, etiam nitentia. Oculi plumbei. Juncturæ femorum, ac tibiarum nigro-fuſceſcentia. Long. 3½. lin. Intra lignum putreſcens. *Tab.* VIII. *Fig.* 14.

XIII. Kalendas Auguſti via admodum inæquali, & difficili, montibus intercepta, profecti nihil magnopere attentione noſtra dignum reperimus, præter vetuſti cujusdam templi rudera, quæ in *Biela* ſuperſunt, parietibus propemodum adhuc integris, &, qua parte tectorium vetuſtas nondum ſuſtulit, pictura exornatis, cui tam diuturni temporis edacitas de colorum ſeu varietate, ſeu ſplendore parum ademit. Qua in re non poſſumus non priſcorum artem demirari, operibus ſuis aliquam quaſi immortalitatem tribuentium, coloribus natura ſua fugacibus in parietes ita migrantibus, ut non ante ab iis diſcedant, quam una ſit amborum ruina. Pictura refert ſenem duos inter genios medium, regio more paludatum, genibus nixum, atque brachia inſtar aliquid offerentis porrigentem, e quibus injuria temporum manus cum dono deterſit. Sed neque, qui munus accipiat, ſupereſt.

Eum

Eum ſublimem nubibus ſubnixum fuiſſe oportuit, quod ſpatium inter ſenem, & extremum parietis latus eo arctum eſt, ut veſtigia hominis non admittat. Poſt tergum ſenis adſtant linteati pauci ſacrorum miniſtri, quorum eſt ſub lineis talaris tunica nigra, quorumdam nigra, albaque; & poſt hos confuſa plurimorum turba. Nobis dubium non videtur, ea pictura S. Stephanum Hungariæ regem ſceptrum, & coronam Beatiſſimæ Virgini Mariæ Hungariæ Patronæ offerentem repræſentatum fuiſſe.

Qua per montem *Perkos* via fuit, eam ſilicibus plerumque rubeo colore tinctis ſparſam vidimus, quibus etiam ſolitaria quarzi, & candidi cornei lapidis e ſtratis fere ſchiſtoſis compoſiti fruſta interjacebant, quæ utraque in metalli ſuſpicione fuere. Quarzum hoc examini ſubjectum e centenis pondo ſeptenas fere ſemi - uncias argenti colore in aureum vergente tincti reddidit, quod acido nitri ſolutum nigrum dimiſit pulverem unius fere ſemi - unciæ cum ſemiſſe pondere. Ceterum montes calcaream oſtentant naturam, extimis eorum parietibus calcareo ſtalactitio ſaxo coagmentatis. Qua tamen a *Biela* in *Sirács* procurrunt, calcarea moles diverſis aliorum lapidum generibus impoſita videtur, quod plurima eorum fragmenta cum aquis devehantur. In *Biela* ſaxum in molarem lapidem formari vidimus, quod e monte *Baſtaſi* eo de-

latum eſt, atque in granitis naturam e quarzo, ſpato ſcintillante rubro, & mica coaluit.

In *Sirács*, a quo loco altera Excell. Comitis Jankovich de Daruvár poſſeſſio nomen accepit, quantam prandium habet, mora interpoſita, properavimus ad *Pakracz* pervenire prius, quam obtenebreſcat. Poſſeſſio *Sirács* tota montana eſt, atque idcirco ad rem pecuariam magis, quam ad agriculturam adcommodata, nec tam bubulis, aut ovillis, quam ſuillis gregibus apta, denſiſſima ſilvarum opacitate herbas enecante. E pago *Grabovlanje* terram accepimus candidiſſimam, & friabilem, cui acida, quorum contactu efferveſcit, vix quintam partem detrahunt. Ex igne cum nativo ſuo colore exit, paululum indurata; ab eo ſi in aquam calida adhuc veniat, frequentes aeris bullas cum ſtridore in ſummum rejicit cum aliquo hepatis ſulphuris odore, nullo ſui detrimento. Aliam etiam huic non diſſimilem margam indidem habemus cinereo-albeſcentem, quæ cum minus friari ſe patiatur, minusque acidis cedat, in aqua tamen tota colliqueſcit. E monte *Doljani* ochram ferri induratam colore in nigrum, & cœruleum vergente accepimus, quæ non eſt ſine magneſia minerali.

Quoniam in *Pakracz* tempeſtivus noſter adventus fuit, & multum adhuc diei ſupererat, non diſtulimus debito

ſalu-

ſalutationis officio apud Illuſtriſſ. Græci ritus non unitorum Epiſcopum *Joſephum Joannovich de Shakabend*, virum ut nobili genere natum, ita egregiis moribus politiſſimum, cujus eo in oppido ſedes eſt, defungi, pro quo is eam reddidit gratiam, ut nos menſæ ſuæ convivas poſtridie eſſe juberet. Inde in hortum, quem Excell. Comes *Jankovich de Daruvár* jam anno 1760 deſcribi, atque topiario opere ſtrui juſſit, transgreſſi, plurimum & loci egregie culti deliciis, & veſpertina, repercuſſu a citreis, aureisque malis ſuaviſſime olente, aura recreati ſumus. Earum arborum, cum mira ſit multitudo, ampliſſima iis cuſtodiendis poſita eſt ædes, in quam ſub ſpecularium munimenta hibernatum reducuntur. Per extremum hortum modicus decurrit rivus, qui in duo ſtagna colligitur, quorum alterum alendis, ſaginandisque piſcibus, alterum teſtudinibus paratum eſt, laudabili ſagacitate conſociatis cum horto vivariis, fructuque non ſolum e terra, ſed etiam ex aqua conſtituto. Secus rivum, piſcinæque oras inter quotidianas humoribus amicas plantas *Cnicus eriſithales* rurſus comparuit, cum eoque quoddam *chærophylli* genus foliis, ramisque eluxuriatum, & vix adhuc in flores explicatum, quod *aromaticum* fuiſſe ſuſpicamur.

XII. Kalendas Auguſti thermæ in *Lippik*, qui pagus ſeſquihoræ itinere a *Pakracz* abeſt, viſitatæ. Aquæ ſalubres

in tria consepta secretæ totidem rivis adfluere videntur, temperamento caloris a se diversis, quod in primo nostro per hunc locum transitu, prius quam instrumentum vitium acciperet, thermometro Fahrenheitiano ita æstimavimus: balneum plebejum ad gradum 125½; id, quod Comitis usibus clausum est, atque a ceteris lacteo colore, odoreque molestiore differt, ad 107; quod a Domina nuncupatur, ad 101 gradum; quod denique a græco Episcopo nomen habet, ad 113 gradum calet. Ceterum aquarum eadem puritas, odor idem, saporque, nec natura ab aquis Daruvariensibus diversa, solo calore excepto, cujus in *Daruvár* major erat sensus.

Pakracz oppidum est amœnissimæ in longitudinem porrectæ valli ad *Pakram* amnem inædificatum, ædium, incolarumque frequentia, & præcipue mercimoniis tota Provincia primum, raris sine taberna ædibus. E ceteris ædificiis eminet ingens, & nobilis structuræ granarium, in quo non utilitatis solum, sed decoris etiam ratio servata est. Sub eo cella vinaria est, audaci opere structa, camera latitudini imposita, cujus pene patiens esse non videatur. Quicumque circum montes oppidum ambiunt, eorum summa pars arboribus feris, ima prunis, & vineis silvescit, jucundissimo in omnem plagam obtutu. Ex iis allatum vidimus lignum in corneum lapidem

pidem duratum illi non dissimile, quod in *Bucs* nos invenisse supra meminimus.

XI. Kal. Augusti, etsi jam Posegam respectaremus, non piguit tamen meridie in *Kamensko* interposito iter morari, quod salsæ cujusdam aquæ indicium nobis factum est, nulla, velut animo præceperamus, rei veritate. In hac velut subita procursione se obtulit *Digitalis ferruginea* pulchri incrementi planta, quam deinde in *Czernek* quoque, & frequentissime in *Csepin* vidimus. Montes, qui *Pakracz* inter & *Kamensko* intersunt, plerumque calcarei; quidam e schisto, nonnulli e crudo fornacum saxo *Wal.* compositi sunt. Torrentium tamen e montibus decurrentium alveos fragmentis quarzi, & corneorum fissilium fibrosorum nigrorum lapidum, & granitis quoque basaltici *Wal.* constratos reperimus, manifesto nobilioris in iis naturæ argumento.

E *Kamensko* profectis, cum jam *Posega* in conspectu esset, forte obvius factus spect. D. *Steph. Markovich* Provinciæ Pro-Comes, amicam, blandamque non invitis vim adhibet, facileque evincit, ut ad *Czernek* proficiscentem sequeremur. In ea, velut adsueta jam via, solas moras mons ad *Banicsevacz* injecit, e quo lapidem tritorium ad molas deferri intelleximus. Eum nos ad hos usus minime adcommodatum esse deprehendimus, quod sit informis, rudisque pluri-

morum

morum variæ naturæ lapillorum, concharumque in calcem verſarum congeries, calcareo glutine adeo parum tenaci unitorum, ut preſſu pene ſub digitis cedant.

Eſt in poſſeſſione *Czernek* mons *Druganovacz*, in quo terra ante annos ſexdecim arſit. Eo nos poſtridie procurrimus. Montis neque ſaxoſi, neque ardui leniſſima, ad meridiem ſpectans, acclivitas in pratum diſpoſita eſt, e quo optimæ notæ fænificia tectis inferri intelleximus; quod ita nobis verum eſſe videtur, ſi de bonitate fœni, non de multitudine ſit judicium. Summum enim argilloſum ſolum & natura ſua, & humorum inopia, quoniam declivitas terreni aquam cœleſtem ei immorari non patitur, eo ſemper areſcit, ut immodicis findatur rimis, quarum eſt plerumque binorum pedum altitudo, apertura vero totidem digitorum. Qua pratum ad orientem ſolem curvatur, inter ſummam montis repente præruptam partem, & adverſum illi collem arctatur, difficilemque præbet deſcenſum. In prærupta illa, quam dixi, & labe terræ nudata montis parte manifeſta ſunt ignis indicia. Omnis autem ejus parietis altitudo ex his ſtratis coaluit. Poſt ſummum argilloſum, parce humo temperatum, atque duos fere pedes altum ſolum, prima eſt argilla plaſtica tenax, & dura cum crebris limacum teſtis, altitudine a ſeſqui pede ad unum & ſemiſſem varia; huic ſubſternitur argilla pedis unius, &

ſemiſſis

ſemiſſis craſſitudine in lateres eleganter rubeos coctæ, intra quam cochlearum domunculæ in calcis naturam ab igne abierunt; ſequitur ſtratum argillæ a pedis altitudine una quarta deficiens, absque cochlearum mixtura, inæqualiter excoctæ; huic demum ſubjacet ſtratum nigrum inter pedem unum cum ſemiſſe & dimidium pedem craſſum illi ſimillimum, quod in *Kutina* vidimus, ſed absque omni litanthracis alicujus indicio, quem igne conſumptum fuiſſe, veriſimile eſt; poſtremum eſt ſtratum argillæ mixtæ cinereæ, & flaveſcentis.

Bina hoc loco capta animalcula commemorari merentur:

Carabus parallelepipedus. Caput, thorax, elytra, pedesque picea. Antennarum articuli a quinto poſt baſim omnes teſtaceo rufeſcentes. Thorax margine laterali ſubrecurvo, ſulco medio per totam longitudinem, duobus vero profundioribus verſus alas dimidiatis; elytra lineata. Lamellæ in femoribus fere ultra dimidium femorum productæ. Long. 7. lin. *Tab.* VIII. *Fig.* 15.

Sylpha Markovichiana. Habitu cum ſylpha ſabuloſa convenit. Antennæ moniliformes extrorſum craſſiores fuſcæ; thorax fuſco-cinereus in medio in gibbum ſat altum ita elevatur, ut ſummum ejus ſex tubercula ovaliter poſita in medio concavum faciant. Margo thoracis latiſſimus albeſcens &

ſerratus; elytra quoque margine albeſcente ſerrato e tribus ſeriebus ſpinarum longitudinaliter decurrentium ſcabra, et præterea pilis brevibus nigris conſita: margo elytrorum inferne complanatus ipſum corpus undique concludens. Abdomen, pedesque fuſci. *Tab.* IX. *Fig.* 2.

Eodem in monte præter aliqua *mineræ ferri retractoriæ* fragmenta etiam *mineram ferri ſchiſtoſam phlogiſticam* reperimus colore jam fuſco - rufeſcente, jam nigro, fractura arida quidem, ſed tamen tactu lubrica. Hæc igne magis duratur, candefactaque, & rurſum refrigerata ſubgriſeum induit colorem, trituque in particulas diſſilit, quarum nulla magneti non obtemperat. In acido nitri ſoluta, addito ſanguinis lixivio, cæruleum berolinenſe in fundum vaſis dimittit; cum fluore vero minerali fuſa e centenis pondo unam & $\frac{1}{3}$ ſemiunciam ferri ſat fragilis dedit.

E *Druganovacz* in vicinum montibus interjacentem pagum, quem *Sagobina* adpellant, transgreſſi ſub frondium umbraculo lauto accubuimus prandio, quod fundi dominus, lectiſſimaque ejus conjux, expeditionis hujus noſtræ comites, præmiſſo culinæ, menſæque inſtrumento adparari juſſerunt. Miſſo convivio properavimus interiores montium receſſus inſpicere, ad quorum naturam intelligendam ſparſa per vallem lapidum fragmenta torrentibus eo delata, in ea, quæ

noſtra

nostra fuit, festinatione sufficere fere nobis debebant. In primo statim vallis aditu crebra, nec parva jacebant quarzi amorphi jam illustris, jam rursus opaci, sed candidissimi frusta, quorum quibusdam cupreus pyrites insidet. Altius intra montes ingressis rursum quarzum amorphum occurrit, sed e minoribus frustis ita compositum, ut quæ opaca sunt, fractura spatum calcareum fere mentiantur; hæc & talcum admixtum habent, & halitu etiam metallico adflantur, qui, cum sit argento rubro similis, tritu nigrescit. Frequentissimus est corneus solidus & spatosus *Wall.* e quo præter cuprum, cujus mineram flavam admixtam habet, argentum etiam elicuimus. E pondo centum senas, septenasque argenti semiuncias reddidit. Lapidis hujus quaternas reperimus dissimilitudines: quarum prima est nigrescens iis, quæ e Suecia adferuntur, simillima; secunda nigrescens granis minimis; tertia e nigro cinereoque varia: quarta subviridis & albescens. Profundius sub montibus sparsum jacet quarzum nihil ab eo diversum, quod in *Velika* passim occurrit, igneque docimastico tractatum exiguam argenti portionem dedit.

IX. Kalendas Augusti placuit ad eos quoque montes accedere, quorum præcipua est laus a calce, quam probissimam præbent. Iis interjacet pagus *Dresnik*, ad quem difficillimus & præceps est descensus, aditu quaquaversus montibus impe-

impedito. Ab eo in plagam ſeptemtriones inter, & orientem mediam bina excurrunt montium juga, quorum alterum calcareæ eſt naturæ, alterum quarzo amorpho abundat. Id, quod calcareum eſt, præter terram calcaream induratam amorpham, copioſum etiam ſpatum ſive informe, ſive in criſtallos formatum habet, nec non ſpatum ferrum fovens illi ſimillimum, quod in fodinis Styriæ *Pflinz* adpellant. Nonnulla etiam marmorum non inelegantium fragmenta invenimus, atque in his præprimis bina, quorum alterum eſt carneo colore fuſcis maculis rare ſparſum; alterum rubro, viridi, flavoque eleganter varium.

VIII. Kal. Auguſti, etſi non deeſſent, quæ nos in *Czernek* lubentes morarentur, Poſegam redivimus, ut poſtridie brevior nobis foret ad *Straxeman* tranſitus. Neque enim alius dies ad reddendam ſpect. D. *Joanni de Jankovich* S. C. M. a Conſiliis, loci poſſeſſori, viro militari æque, ac civili Magiſtratu geſto claro, tot erga nos benevolentiæ, humanitatisque demonſtrationibus quamcumque vicem opportunior videbatur, quam quo frequentiſſimæ provinciæ nobilitates ad eum convenerant, ut Ill. ornatiſſimæque ejus Conjugi a Diva Anna, cui dies ſacer erat, nomen habenti gratulationis officium impenderent. Non comiter ſolum, ſed cum gaudio etiam excepti pene triduum, nec prorſus inutiliter, reſtitimus.

mus. Positum est *Straxeman* in oblongo modicæ altitudinis clivo ad montes Posegæ adversos acclinato, non magno a *Velika* intervallo. Quo minus mirum, eamdem utrobique lapidum similitudinem a nobis repertam fuisse. Colli subjacet vicus *Biskupovacz*, in quo novum domino surrexit ædificium, spatiosum, & commodum, nec tam superfluo ornatu, quam cubilium & numero, & apta distributione commendandum. Possessio ipsa fere montana est; terminaturque septemtriones inter, & occidentem monte *Papuk*, totius provinciæ celsissimo, in cujus apicem eniti jam dudum animus nobis fuit.

VI. igitur Kalend. Augusti per cavas valles curru invecti, cum jam ad imum montis pervenissemus, in pedes nos dedimus, diem scandendo, rursumque descendendo transacturi. Sed ne solus mons *Papuk* intentos nos haberet, longiorem, difficilioremque per varias vallium angustias viam elegimus, curas inter minores quoque illi adstantes, & velut pedissequos montes partituri. Eos sub integumento calcarei lapidis alios nobiliores fovere nullus dubitandi locus relictus est, posteaquam omnem pene vallium modum quarzo constratum vidimus; quod lapidis genus in ipso etiam *Papuk* calcareis fragmentis, sed rarius intermixtum reperimus.

Non erit inutile, hic semel dixisse, quoscumque montes in Provincia adivimus, eos ita comparatos esse, ut, qui

primi e plano aſſurgunt, ſubito in altitudinem exaltentur, in receſſu deinde magis magisque inclinentur, & poſtremo facillimi etiam adſcenſus evadant, qualem vel ipſe *Papuk* ceteris altior ſe præbuit, præterquam in apice, quem ſatis præruptum impoſitum habet. Quæ obſervatio addita ad eam nobilioris texturæ lapidum frequentiam, & non dubia metallorum indicia pene certos nos reddidit, naturam huic provinciæ non minores divitias ſub ſolo condidiſſe, quam in ſummo ſparſerit. (*)

E monte *Papuk*, quoniam ſolum præfervido cœli ſtatu aruerat, & jam annus declinabat, ſpe minorem plantarum meſſem retulimus. In paucis nominari merentur, *Sanicula europæa*,

(*) Cameræ monetariæ *ultra Dravam* jam mentionem facit Bela IV. in diplomate anni 1256. XVII. Kalend. Januarias. Fuiſſe hanc in provincia Sirmienſi, videtur effici ex literis Caroli Roberti, qui anno 1342. Cameram monetariam *Sirmienſem*, una cum *Quinque-Eccleſienſi*, Magiſtro *Chenpelini* curandam dedit: item ex Diplomate Ludovici I. qui anno 1346. Cameræ monetariæ *Sirmienſis* adminiſtrationem Magiſtro dicto *de Szatmár* commiſit. In hac forte cuſi ſunt nummi, *Banales* dicti, quorum in Collectione Decimæ Pontificiæ, quam RR. D. Joſ. *Koller* Tomo II. Hiſtoriæ Epiſcopatus Quinque-Eccleſienſis vulgavit, creberrima mentio occurrit, & quibus utplurimum in Sclavonia utebantur. Hæc indicio eſſe poſſunt, inter *Dravum* & *Savum*, haud longe ab Sirmienſi agro, fodinas argenti olim exſtitiſſe ſatis feraces. - - - Adnotationes has nobiſcum communicavit Clar. & Celeb. *Georg. Pray*, cui eapropter nos grates habere profitemur.

ropæa, *ſenecio nemorenſis*, qui jam flore ſe exuerat, *Aſtrantia major*, *Veratrum nigrum*, & *Aconitum lycoctonum*. In ſummo autem montis apice nil minus, quam reliqua ſui parte, arboribus obumbrato *Geranium lucidum*, *bupleurum longifolium*, *ſelinum auſtriacum Jaquin.* & *Achilleam macrophyllam* legimus, cujus iconem *Tab.* XI. damus. In hoc itinere didicimus, ruſticos *Slivoviczam* ad radicem *veratri nigri* adfundere, ut reſinoſam ejus naturam ad ſe trahat, eamque ita medicatam bibere, quotieſcumque alvum purgare volunt. Ejus radicis defectui bulbus *lilii candidi* ſupplet. *Aconiti* vero *lycoctoni* radicem ſole, aut ignibus ſiccatam in pulverem obterunt, eumque vulneribus pecorum, in quibus vermiculi ſubnati ſunt, inſpergunt, ut infeſta animalcula enecentur. Cui rei remedium etiam eſt ſemen *hyoſciami nigri* in pulverem contuſi.

Sub colle, cui *Straxeman* inædificatum eſt, nitidiſſimæ undæ rivus decurrit, e cujus alveo diverſa jam ſaxi fornacum, jam quarzi cum minera cupri cinerea, jam rurſum quarzi cum immixto talco, & pyrite cupreo fragmenta ſuſtulimus, quæ e remotioribus montibus eo delata fuiſſe indubium eſt, cum omnis ea vicinia nihil, niſi quod calcareum, aut argilloſum ſit, oſtentet, in quibus hæc potiora: Breccia quarzoſa calcarea tota candida; lapis calcareus amorphus cinereus

nereus .

nereus cum ſpato calcareo jam informi, jam in criſtallos concreſcente; alius cum minoribus oſtreis, & milleporæ celluloſæ rudimentis; ſaxum Brunichii argillaceum ex argilla rubeſcente, ſpato calcareo candidiſſimo, & paucis ſilicum fruſtulis. De quarzo, quod ſupra memoravimus, adnotaſſe juverit, ei inſperſas criſtallos eſſe, quæ cum ſpeciem pſeudogalenæ referant, minera tamen ferri ſunt, quæ jam cum Borace, jam cum ſale microcoſmico ad ferruminatorium tubulum tractata per horam unam & dimidiam igni reſtitit, mollis tantum, & atra effecta. Cum deinde in pulverem obtrita fuiſſet, magneti obſequuta eſt, cujus, prius quam ignem paſſa fuiſſet, nullus in ea ſenſus obſervari potuit.

Secus viam in imo colle perductam mira earum plantarum, quæ flores in umbellam componunt, apparuit varietas, quarum hæ erant præcipuæ: *Sium anguſtifolium*, *Tordylium maximum*, *Heracleum panaces*, *Peucedanum alſaticum*, *Seſeli annuum*, & *Selinum Seguierii*.

Animalcula commemorari merentur:

Leptura biarcuata. Antennæ, pedesque rubeſcentes. Caput, ac thorax nigra. Elytra ad baſim fere usque dimidiam rubeſcentia, ceterum nigra, lineis arcuatis duabus albis, quæ inferne ſeu verſus apicem ſubrubro terminantur. In Papuk. *Tab.* IX. *Fig*. 14.

Sylpha

Sylpha paradoxa. Thorax, elytraque nigra marginata; his puncta duo ſat magna rubra in medio. Pedes & abdomen fuſco-livida. Sylphis toto habitu, & ceteris etiam notis proxime convenit: ſed id peculiare habet, quod ejus antennæ, ceterum moniliformes, apice clava compreſſa e 4 articulis annularibus conſtante terminentur. Long. 2. lin. Lat. 1. In Papuk. *Tab.* VII. *Fig.* 5.

Bupreſtis dubia. Habitus totus bupreſtis eſt. Antennæ, caput, thorax, elytra colore caſtaneo; oculi, & abdomen nigra, alæ ſubalbæ. Antennæ moniliformes vix longitudine thoracis. Thorax caput recipiens punctis minutis confertus, & parte antica quolibet latere dente terminatus. Scutellum exiguum. Elytra longitudinaliter ſtriata, punctataque. In femoribus poſticis caraborum more lamellam habet. Intra corticem, & lignum fagi ad *Pod Sokolina.* Fæmella fere 4, mas 3. lin. long. *Tab.* VII. *Fig.* 11.

Sylpha Boleti. Antennæ moniliformes articulis ultimis craſſioribus; Caput, thoraxque nigreſcentia ſubcomplanata; thorax marginatus ſcaber e punctis prominentibus minutiſſimis, confertiſſimisque. Elytra lineis elevatis ſex tenuibus, intra quas puncta impreſſa. Pectus, abdomen, pedesque picea. In Boleto; copioſior in fago, & in quercu quoque. E chryſalide prodiens colore teſtaceo eſt. Nobis bina e boleto

P ſpeci-

ſpecimina prodiere, quorum elytra nec obriguerunt umquam, nec colorem nigrum induerunt. Long. jam $1\frac{1}{2}$, jam prope 2. lin. *Tab.* VII. *Fig.* 9.

Cantharis bipunctata. Antennæ ſetaceæ nigræ. Nigra itidem caput, thorax, pectus, abdomen, & pedes. In ſummo thoracis medio ſulcus exiguus, ad cujus latera antice punctum utrinque impreſſum. Scutellum magnum nigrum. Elytra flavo - teſtacea; macula in quolibet elytro una nigra. Long. fere 4. lin. *Tab.* VIII. *Fig.* 12.

Cantharis quatuor punctata. Forte prioris fœmella, a qua, ceteris omnibus æqualibus, differt 1mo, punctis in quolibet elytro duobus; 2do: in thorace lineis quoque obliquis impreſſis; 3^tio^: punctis duobus impreſſis in ſcutello. *Tab.* VIII. *Fig.* 13.

V. Kalend. Auguſti ad urbem reduces, & jam Budam reſpectantes, omnia in diſceſſum comparare cœpimus, nec amplius triduo morati pridie Kal. Auguſti Poſegam reliquimus, brevique itinere *Kutjcvam* pervenimus, quod eſt oppidum montibus, qui provinciam Poſeganam a Veröczenſi dirimunt, ſubjacens, paucis ſeu amœna loci poſitione, ſeu agrorum cultu, & fertilitate inferius. In ipſis oppidi pomeriis terra acidulis aquis ſcaturit, ſed eo nunc, alienæ, quod ſuſpicamur, aquæ mixtione, dilutis, ut earum acidus pene

non

non intelligatur ſapor ; quod in nulla fontis adminiſtratione mirum videri non debet, omni circum regione ſtagnata, atque arundinetis, & ſalictis fonti prætenſis ita, ut arbitremur, ad primam harum aquarum originem ne quidem accedi poſſe. Credibile eſt, fontem, ſi putres, facili delapſu, aquæ detrahantur, ad nativam ſuam bonitatem rediturum, maximo provinciæ emolumento, cui natura medicatas ejus naturæ aquas denegaſſe putabatur. Qua ad fontem via eſt, ſolitaria ſaxi tritorii optimi fruſta jacent, a majoribus, haud dubium, molibus defracta, in quæ foſſionibus inquirere juvaret, eo magis, quod lapides in molarum uſus e longinquo, & plerumque Quinque-Eccleſiis in omnem provinciam advehere oporteat.

Kalendis Auguſti tranſcenſis montibus e provincia Poſegana exceſſimus, properavimusque eodem adhuc die *Cſepinum* pervenire. Prius tamen, quam ultra progredimur, juvabit, quæcumque brevi commorationis noſtræ tempore ſive ipſi animadvertimus, ſive a peritis didicimus, hic ſimul omnia brevi narratione complecti. Qua in re præmonemus, de ſola Poſegana provincia, non de univerſa Sclavonia nobis ſermonem eſſe.

Provinciam incolunt Illyrii Sclavones, ſive Slavones hodie adpellati, quam nuncupationem eos ab Illyrico vocabulo

bulo *Slava*, cujus eſt *gloriæ* ſignificatio, traxiſſe quidam exiſtimant, perpetua, & quaſi propria genti armorum gloria. Sed de gentis, neque originibus, neque nominibus diſceptatio nobis eſt. Illud tamen præterire non poſſumus, eos, qui ſuperiorem provinciæ tractum a *Pakracz* usque ad fluvium *Illovam* inhabitant, *Valachos* adpellari, propter quod eos Conſil. *Taube* e Valachia eo immigraſſe autumat. Sed id nobis non placet; quod non ſit credibile adeo omnia primæ originis ſive decora, ſive vitia vel longiſſimi temporis tractu obliterari potuiſſe, ut nihil eorum ſuperſit, nullo, ne in lingua quidem, cujus tardiſſima ſemper eſt oblivio, veſtigio ſuperſtite. Rectius idcirco nobis opinari videntur, qui eos e Boſnia Morlachiæ maritimæ, ſeu ad mare Adriaticum adſita accerſunt, ſuffragante iis & populari opinione, & quibusdam veteris moris, ac præcipue veſtitus muliebris in populo reliquiis, nec diſſentiente nomine; cum veriſimile ſit, eos, qui ab oris maris in has terras immigrarunt, e veteri *Morlachorum* compellatione, quod e *more*, & *Vlah*, quorum hoc *fortem*, illud *mare* ſignificat, coaleſcit, quaſi *maritimum fortem*, vel *mari fortem* diceres, rejecta prima compoſitionis parte *more* poſtremam retinuiſſe, voluiſſeque deinceps *fortes*, ſeu *Vlah* compellari, erroreque e vocabulorum ſimilitudine orto

eos

eos ab imperitis Valachos vocitari cœpiſſe. Sed hæc, & his ſimilia hiſtorici inquirunt.

Quicumque provinciæ ſunt indigenæ; ii proceri plerumque ſunt incrementi, corpore nec obeſo, nec rurſus macerrimo, ſed tamen macro viciniore. Veſtitus viris ab illo Hungarorum parum diverſus, æſtate plerumque lineus, induſio fere ad genua pertinente, atque ad lumbos zona adſtricto, cui laneam brevem, raro candidam, ſæpiſſime fuſcam, & quaſi aduſti coloris tunicam, rubeo, aut cœruleo marginatam ſuperinduunt, quotieſcumque decentius veſtiuntur. Barbam nullus, myſtaces plurimi alunt. Capillum retro religant, neque unquam neglectum habent. Caput integunt panneo quodam operimenti genere coni truncati, aut ſemi-ellipticae cavæ figura rubei, vel cœrulei coloris. Nec minus fœminarum lineus eſt veſtitus, præter lanea varii coloris, plerumque virgata ſemicinctia, quæ bina ſemper deferunt ante & retro intectæ, quaſi ſi togæ ſupplere velint. Caput linteo non integunt ſolum, ſed obvolvunt, ſola facie conſpicua. Cum ornatius induuntur, corpori nigram ſine manicis tunicam, pedibus lanea diverſis coloribus varia tibialia aptant. Sed capitis præcipuus eſt ornatus, præprimis puellis, quibus rubeum rotundæ formæ capitis ornamentum potius, quam integumentum pro velo eſt. Inſigne illis eſt, crinem dentibus

animalium, & plurimis diversæ figuræ, colorisque lamellis e tænia pendulis discriminare, rubeamque, quam dixi, vittam, & collum, atque aures ornare. Hieme viri æque, ac mulieres pelliti sunt.

Quorum regio montana est, ii quondam raras inter se junctas sedes habebant, habitationibus diversi, discretique. Sed hodie vicos nostrum in morem locant connexis ædificiis, curantibus id possessionum dominis, ut publicæ non minus, quam privatæ colonorum securitati consultum sit, cui quo magis prospectum esset, in præcipuo cujusvis pagi foro ædicula posita est, in quam in vasta tempestate correpere possint, qui nocte excubias agunt, quas coloni inter se partiuntur, pluribus in singulas noctes deputatis, ut numerum faciant. Domos a solo attollunt, struuntque e perquadratis, & dolatis tignis, integuntque plerumque assulis, raro ad tecta stramentorum usu. Fumarium ipsum materiatum faciunt, exaltantque in formam turris, & exornant. Intus omnia terra oblinunt, poliuntque, & postremo calce percurrunt, ut candidentur. Calcem non a calcariis emunt, sed ipsi in usus coquunt, obvia ad eam ubique materia. Est autem fornacis hæc constructio: Sepem erigunt rotundo ambitu ita, ut locum claudat; hanc alio rursum sepimento, relicto intervallo, circumveniunt: inter duas sepes, quod intervacat, argilla

explent.

explent. In cavum machinæ lapides ingerunt, ſed ita, ut eos a fundo in formam cameræ diſponant, ſub qua ignem accendunt, aditu per ſolum foſſione patefacto. *Tab.* X. *Fig.* 3. Domus forma longa eſt, fronte media retracta, ubi porticus eſt. In eum ternæ portæ patent, una a medio, qua in culinam, atque ex ea hinc in promptuarium, inde in conclave patris-familias intratur; duæ aliæ ab utroque prominente latere, quorum alterum recipiendo cuicumque advenæ hoſpiti aptatum eſt, alterum cœnaculo, quod & univerſæ familiæ commune eſt, convenientibus in id domeſticis viris, mulieribusque ad conficienda opera, quæcumque domi ſive interdiu, ſive ad lucubrationes veſpertinas fieri poſſunt. Id etiam ſolum eſt, in quod hibernis menſibus, igne in fornace creato, calorem inferri patiuntur; nam noctes in frigido tolerant. Si paterfamilias ſive fratres, ſive filios conjugatos habeat, ſecreto, intra eadem tamen ſepta, loco ſingulis conjugiis ſingula cubicula ædificat, in quæ res ſuas conferre, & ſibi ſolis habere queant. Interiora conclavium ſola mundities ornat, cujus gens omnis eſt ſtudioſiſſima.

Fundos ſibi adtributos inter filiosfamilias numquam partiuntur, neque hi mortuo patre a ſe diſcedunt; propter quod vicena ſæpe conjugia eadem in domo cohabitantia in unam familiam coaleſcunt, & plerumque ſine querela convi-

vunt.

vunt. Familiæ communibus ſuffragiis præficiunt, quem regendi ſcientia ceteris præcellere exiſtimant, & *Seniorem* (*ſtareshina*) adpellant, qua in electione judicio, commendationique mortui deceſſoris plurimum tribuunt; nec raro evenit, ut, qui ætate ceteris inferior eſt, auctoritate ſuperior evadat. Eum omnes velut patrem obſervant, & velut ſuperiorem verentur; eumdem tamen, ſi aut rem familiarem ſegniter curet, aut pacem inter domeſticos tueri neſciat, aut vitia contrahat, non raro deſtituunt, & reluctantem etiam, interpellato fundi domino, in ordinem redigunt. *Senioris* eſt opera ſive domeſtica, ſive ruſtica ſubjectis imperare, quid in agro, prato, vinea, pomarioque faciundum, conſtituere; qui fructus in uſus reponi, qui ad emtorem transferri debeant, diſcernere; quæ quisque in commune contulerit, cuſtodire, apteque, cum uſus fuerit, rurſum depromere; aes alienum, ſi quod neceſſitate contractum ſit, expungere; quæ regi, domino, militi debentur, tempeſtive præſtare; eſcam familiæ, & lanam in veſtimenta providere; ſegnes admonere, opera facientibus ſæpe intervenire, peccantes plectere, & vel maxime, ne quid peccetur, cavere. In ea tot curarum turba, ne quid minus recte adminiſtretur, aliquos e familiaribus, nonnumquam etiam omnes in conſilio habet, cum quid conſulere vult; quod Dominicis plerumque diebus ſublata menſa

fit;

fit; quo etiam tempore ſuum cuique opus in ſeptenos fere dies imperatur.

Non diſſimilis eſt ordinatio inter mulieres. Quæcumque domus gubernatrix, ac materfamilias eſſe jubetur, ea labores inter mulieres partitur, e quibus per vices ad parandos cibos, coquendum panem, mulgendas boves &c. ſibi adſciſcit, cujus etiam eſt curare, ne quid prolibus domi, foris pecorum paſtoribus deſit. Sed præcipua mulierum cura eſt veſtitum ſibi, marito, prolibusque, & ſiqui in familia viduati ſint, parare. Nam in veſtitum nihil e communi peculio confertur, excepta lana, quam plerumque ab exteris mercari coguntur. De lino autem curare, ad fœminas non communiter omnes, ſed ſingulas pertinet, propter quod etiam ſingulis pars agri in lini ſementem conceditur, quanta privatis cujusvis neceſſitatibus congruere videtur.

Menſa omnes communi utuntur, ſed alii poſt alios. Primi accumbunt viri; his ſatiatis ſuccedunt mulieres; poſtremis prolibus cibi inferuntur. Si quis aut hoſpes invitatus, aut peregre adveniens in domum receptus ſit, ei hoſpitali in conclavi convivium adparatur, plerumque nullo, præter familiæ ſeniorem, aſſidente. Ad ſomnum ſe comparanti hoſpiti, priusquam exuitur, una mulierum pedes calida lavat, linteoque abſtergit. Quicumque adoleſcentiam exceſſere, fere

in lecto non ſine plumeis culcitis, ſtragulisque cubant; juventus dura in humo, ſubjecto ſive linteo, ſive veſte, ſternitur, ut corpus a teneris duretur.

Eſt autem omnis gens hoſpitalitatis laude præcipua; fereque in eam convenit, quod *Tacitus* de Germanis tradidit: *Convictibus, & hoſpitiis non alia gens effuſius indulget. Quemcumque mortalium arcere tecto, nefas habetur, pro fortuna quisque apparatis epulis excipit.* Cum defecere, quæ adparentur, penuriam patienter tolerant, quoad meſſis horreis, & vindemia cellis illata eſt, rurſumque epulas redintegrant.

Ciborum non magna varietas. Æſtate plurimum hortenſibus, & diverſis e farina cibis ſuſtinentur; hieme carnibus, præcipue ſuillis; quamquam, ſi eſt multitudo *braſſicæ capitatæ*, non minimam partem cibariorum per hiemem ruſtici vindicant, foliis ejus tenuiter ſectis, ſuoque in jure fermentatis. Nec minus cucurbitæ eorum cibaria adjuvant. Eas deraſo cortice cum aqua coquunt, & cum emollitæ ſunt, cremore lactis condiunt. Earumdem pulpamen in longas lamellas ſectum, atque vel fermentatum, vel ſole ſiccatum, in ſeros uſus reponunt. Quæcumque e farina ſive e tritico, ſive e Zea Mays extrita conficiunt, ea fere cum lacte concoqui patiuntur; ſæpe autem ſolo lardo liquato perfundunt. In condimen-

dimentis frequens nucis juglandis minutim obtritæ usus est. Die Nativitati Domini sacro nullus est, qui non suem sive aniculum, sive nefrendem, non in partes sectum, sed integrum, igni assum, mensæ suæ inferri curet; neque negligunt partem aliquam ex eo recisam vel fundi domino, si in vicino habitet, vel sacrorum administro mittere. Ad potum vinum, magis autem exaltatum e prunis liquorem adprobant; quorum, si desint, defectui sola aqua supplet.

Labores virorum a peracta bruma in serum autumnum agrarii sunt. Hieme, præter quotidianam pecorum curationem, in eo fere occupantur, ut ædificia, sepesque, & instrumenta, sive quæ in opere laboraverint, refecta, sive quæ caries, vetustasque inutilia fecerit, novis, recentibusque suppleta habeant. Neque enim rusticorum quispiam est, qui currus, vehicula, aratra, & quæcumque sunt lignea instrumenta, a lignariis potius emere, quam ipse sibi facere velit. Nec indecorum existimant tibialia, digitaliaque e laneis filis contexere, quandocumque ab alio opere vacui sunt. Iuventus æstate pecora ad pastum exeuntia sequitur manibus numquam ab opere vacuis, cum eas potius aut fila ducendo, aut textum quodcumque faciendo distentas habeat.

Non alibi negotiosiores esse mulieres arbitramur, quam in Sclavonia. Præterquam enim, quod in operum rusticorum

partem a viris advocentur, domumque, & familiam admini-ſtrandam habeant, totius præterea lanei, lineique veſtitus illarum eſt procuratio. Idcirco quibusvis gravioribus operibus netrinam interponunt, & ſubſeciva quævis tempora ſtudioſe conſectantur, ut ſuum filorum penſum abſolvant, raro vel in plateas publicas ſine colo lateri adhærente prodeuntes, neque, ſi forte a puteo reduces læva urceum portent, dextram a fuſo abſtinentes. Neque contentæ fila ducere, etiam textrinam ipſæ faciunt, textilia quævis e lino, lanaque opera rudi in machina non rudi manu perficientes. Tinctoriam etiam ſibi vindicant, exercentque felici ſucceſſu, ſed nulla ſive materiarum tincturis idonearum, ſive colorum varietate, ſolis fere, quos *primos* dicere ſolemus, contentæ. Ad rubeum utuntur radicibus *rubiæ* in pulverem contuſis, atque cum aqua coctis, ſed ita, ut numquam inferveſcat, addito plerumque modico ligni braſili decocto, ut color inclareſcat. Cum lanam inficere volunt, eam in aquam ab igne calentem pariter cum rubia indunt, componuntque ita, ut jus lanæ ſuperveniat, et tres dies, noctesque ſuper leni ſemper igne eſſe patiuntur, ſæpius eam rudicula verſantes, atque a fundo commoventes. Cum colorem combibit, exemtam e balneo lanam intorquent, componuntque per faſces in ſicco, & mundo lintre, quoad jus, e quo exivit, ſubjectis lignis inferveat.

veat. In id deinde ſingulos faſciculos, ſed retortos, modice immergunt, rurſumque exemtos in lintre ſternunt, atque illico cinere e crematis vitium ſarmentis reſiduo conſpergunt, ut penetrentur, obruuntque fervente rubiæ jure, in quo, foliis juglandis obtectos aliquot adhuc horis ſervant. Poſtea liquida in aqua lavant, ſiccantque, & habent ad uſus paratos. Prius autem, quam tingunt, lanam præparant, ut colorem adprehendat; eapropter eam in calida, ad quam ſecalinum fermentum (*Quaſs* id adpellant) & alumen minute obtritum addunt, per octonos dies macerant, quoad luteum ex ea colorem trahat. Rubiam tinctoriam coloni plerumque ipſi colunt.

Non multum diſſimilis eſt ratio, qua lanam flavo tingunt, niſi quod in ea tincturæ paranda fermento abſtinent, balneo ex alumine, & ſale communi parato. Ad flavum colorem præcipua illis eſt *geniſta tinctoria*, non florum ſolum panicula, ſed etiam foliis, & caudice ad tingendum utilis. Eam in minutas particulas conciſam, poſteaquam noctem unam in aqua maceraverint, ſubdito igne coquunt, quoad candidetur, quod eſt ejus maturitatis ſignum. Dum infervet adhuc, lanam eo immergunt, tenentque non diutius, quam ſat ſit, ut ovum percoquatur, illicoque exemtam in lixivium e quocumque cinere paratum, ſed purum liquidumque con-

ferunt, nec diutius, quam in colorato jure ſervant. Tum intorquent, ut humorem dimittat, ſiccantque ſine lotura. Eſt illis etiam non infrequens corticis pyri ſilveſtris, foliorumque betulæ albæ, & amygdali perſicæ ad luteum colorem uſus. Viridem e flavo, cæruleoque contemperant, quem poſtremum ex iſatide non ſua, ſed emta habent. Atro inficiunt cortice fraxini excelſioris cum ſcobe ferri, & vitriolo concocto.

Linum crebro aqua conſperſum in ſole candidant, neque coloribus tingunt. Si qua tamen veſtis varia placeat, eam acu pingunt, goſſypinis filis omnem colorum varietatem præbentibus.

Hæc cum certa fide teneamus, immerito otium, laborisque tædium in gente Sclavonum univerſe reprehendi exiſtimamus, in qua mulieres quidem fere magis, quam vires ferant, occupari indubium eſt, viros autem, ſi quando ab opere vacantes reperiantur, laboris non fuga, ſed inopia vacare ſatis certo conſtat; quod tenuis cuivis familiæ adtributus agellus plurimorum, in ejus cultum manus conferentium, virorum operam non expoſcat, quin abnuat etiam. Quid faciant conſumtis in agro, & vinea laboribus in regione, in qua occupationes hominibus magis optare, quam reperire liceat, fereque rebus, quas difficili labore pepererint, em-

tor

tor quærendus ſit? artes maxime neceſſarias coloni ipſi exercent, voluptarias ignorant, nullo ſeu privato, ſeu publico detrimento; mercaturam, qui faciant, pauci ſunt, nec dubium, quin ea quæſtuoſa eſſe non poſſit apud gentem, in qua neceſſitates paucæ ſunt, commoditates non curantur, nec alterius cujuſpiam rei, quam æris, major eſt inopia. Commercium cum externis exiguum, fereque pro ſolis tantum nicotianæ foliis, & pro ſerico aliqua pecunia redit. Nam frumenta ad exterum emtorem non alias facile transferre poſſunt, quam cum homines in Italia fames inceſſit. Nobis in hac feliciſſimæ poſitionis provincia in eo peccari videtur, quod non ceſſent coloni ſolas tantum frumentorum ſegetes in agris procreare, quæ & emtorem raro inveniant, & venditæ etiam agricolam non admodum locupletent, & magnam hominum partem ab opere vacuam relinquant. Quanto rectius agros a frumentis reſtibiles iis ſeminum generibus obſererent, quæ vicinis in regionibus aut numquam, aut raro coluntur, quæque, cum aſſiduam, juſtamque culturam foris acceperint, tectis illata novam domi curam, novamque adminiſtrationem expoſcant, quoad in id formentur, ut merx vendibilis fiant? Atque id in hac provincia ex parte jam facere occuparunt, cultu nicotianæ feliciter cœpto, promotoque; in quo tamen maximopere damnamus, quod, cum Poſegana nicotia-

cotia-

cotiana ubique celebri fama ſit, eam nihil procuratam, neque ad diverſos ejus uſus formatam vendant, malintque lucrum, quod e forma, adhibitaque ei condituræ ratione majus redit, quam e materia, alienis potius concedere, quam ſibi parare. Nil minus quæſtuoſa provinciæ eſſe poſſet plantarum tincturis idonearum cultura, in iisque præcipue rubiæ, & iſatidis. Sed nobis præ illa lini, nulla & naturæ ſoli, & gentis textrinam tam copioſe, ſciteque facientis indoli, & facili mercatui magis adcommodata cultura videtur; quoniam ſive occupatio hominibus quæritur, illa lini adminiſtratio a prima ejus ſemente usque dum e machina textoria exeat, plurimorum manus diſtendit; ſive quæſtus proritat, is e linoſitate expectari poteſt maximus, quod ſpes ſit vicinas regiones omnem lineæ rei uſuram depenſuras. Omni autem ea in re antiquiſſima eſſe debet cura de ſemine, quod Sclavones probum non habent, tum de omni lini ſive foris in agro, ſive domi ſub tecto procuratione, poſtea de netrina, textrinaque, ac poſtremo de probiſſima ejus candidandi ratione. Quæ res tam diverſæ non tam præceptis docentium, quam imitatione præeuntium magiſtrorum condiſcuntur, quos idcirco e regionibus, quarum lineæ veſtes plurimum laudantur, acceſſere oportebit.

In

In prolium educatione nihil magnopere dictu dignum habent. Eas matres, ni quid obſtet, bimas etiam, trimasque ad ubera admittunt; non tamen negligunt eas aliis prætereа alimentis fovere, quorum præcipuum eſt farina, aut mollis cucurbitæ medulla cum lacte concocta. De farinoſo pulmenti genere, quoniam apud nos quoque eſt in uſu, tacendum non arbitramur, id *Keſſelmayero* perniciofum, & pluribus forte mortibus, quarum cauſſæ ignorantur, damnatum videri, quod tenellus infantium ſtomachus glutinoſum, neque fermento edomitum farinæ lentorem conficere nequeat. *Opuſc. ſceti. II. pag.* 315. Celebris tamen *Bergii* diverſa eſt ab hac ſententia. Cum enim ſumat partes nutrimento aptas fermento in ſpiritum extenuari, atque in auras dilabi, quoscumque melius pulmento, quam pane nutriri exiſtimat. *Schwed. Abhandl. XXXV. pag.* 26. Noſtrum non eſt hanc litem dirimere. Infantes faſciis circumveniunt, componuntque in cunis. Cum jam quadrimeſtres ſunt, eos ſecum ad agrum deferunt, atque, ni cunas quoque deportaverunt, in linteo ex arbore ſuſpendunt. Ad quemvis vagitum accurrit mater, clamoremque deprompto e cucurbita, cujus genus quoddam (*lagenaria Linn.*) in liquorum continendorum uſum venit urceorum vice, modico e prunis ſpiritu (*Slivovicza*), orique infantis infuſo compeſcit. Scholæ juventuti ruſticæ

primum anno 1758 *Kutjevæ* aperiri cœpere, nec multo poſt aliis in locis, & ſunt jam non pauci, qui ſcribere non minus, quam legere noverint, eaque condidicerint, quæ ſimplicitati ruſticæ conveniant.

Luſus genti proprii pauci ſunt. Juvenes aut ſoli trochum flagellis ante ſe agunt, aut plures in duas adverſas velut acies diſtributi orbem ligneum baculis in diverſa propellunt. Quæcumque acies orbem, & cum eo adverſam partem ante ſe agit, victoriam retulit. Viris ſolenne eſt lapidem ad metam jacere; quo in exercitationis genere eo vires confirmantur, ut qui a lapide cœperit, in ſaxo deſinat.

Inſtrumenta muſica fere non alia, quam hæc duo: utriculus ſolo ſub brachiis preſſu tibiam animans, & lyra quaternis, vel ſenis chordis vocalis. Modulatio triſtis potius placet, quam læta; choreæ graves, & placidæ, quas non raro absque illo inſtrumentorum illicio ad ſolos præeuntis cujuſpiam cantus inſtituunt. Res veterum ſuorum regum, ducumque præclare geſtas canere amant, easque carminis, & rhytmi legibus implicatas habent.

Morborum in plebe non magna varietas. Adulta æſtate febribus, menſibus Auguſto & Januario dyſenteria, Decembri & Januario pleuritide, Februario denique & Martio malignis febribus tentantur. Eorum morborum cauſſas, quam-

quam

quam ſatis in aperto eſſe videantur, noſtræ diſquiſitioni concedere non audemus. Medicamenta, quorum apud plebem uſus eſt, hæc fere reſcire potuimus. In febribus præcipua illis eſt *gentiana centaurea*, cujus flores, foliaque, quanta tribus digitis complecti poſſunt, modice obtrita leniſſimo ſuper igne cum aqua coquunt. Ea, ſi a jejuno bibatur, & ſtomachum confirmare, & febres depellere fertur. Sed his curandis etiam radicem plantaginis aqua coctam adhibent. Ejusdem plantaginis ſemen dyſenteriam curat, cui etiam medentur ſeminibus *verbaſci blattariæ* ovis cum butyro incoctis. Adverſus hydropem remedium eſt aqua, cum qua baccas juniperi concoqui patiuntur. Eam ad uſus ſervant. Quandocumque dein æger ſitim levare deſiderat, ex aqua hac ad poculum transfundunt, & prius, quam porrigunt, ſuccum e radice *bryoniæ* recente radula comminutæ exprimunt, eumque potui inſtillant. Cum hac alteram etiam curationem adhibere non negligunt: ſaponem Venetum in ſpiritu vini colliqueſcere ſinunt, eoque, quaſi unguento, plantas pedum ægri ſæpe perlinunt. Adverſus ſplenis tumores potus lactis, cui *ſalviam* incoquunt, ſalubris habetur.

Vulnera ſanant foliis *plantaginis anguſtifoliæ* ſuperimpoſitis, curantque, ut vetera, & ſicca folia novis recentibusque permutentur eousque, dum plaga cicatricem ducat. Si

 vulnus

vulnus juſto plus manans arteriam læſam eſſe indicet, primum obtritis *achilleæ millefolii*, tum plantaginis foliis obtegunt, quoad coaleſcat.

Si quod membrum fervefacto quocumque liquore perfuſum ſit, bulbum *allii cepæ* in lamellas ſecant, easque, qua noxa pertinet, adplicant, & linteo obligant. Alii ova coquunt, ut indurentur. Ea deinde, detracto putamine, minutim conciſa, & in igne frixa linteolo obvolvunt, comprimuntque, ut liquorem, quem oleum ovi adpellant, reddant; qui recenti butyro temperatus pro unguento eſt, quod læſis partibus, detracta prius cuticula, ſub qua inanitas facta eſt, adhibent. Si qua parte membrum quodvis aduſtum eſt, eo primum lineam ſpiritu vini madentem laciniam adplicant, quoad cutis inflata rumpatur; tum butyro e bubulo lacte coacto ungunt, conſperguntque pulvere, in quem carbones tiliæ obtriverunt.

Cancri curandi hæc a quibusdam tenetur ratio: primum erinaceum, deinde talpam quoque in ignem injiciunt, ut vivi crementur. Extracta e rogo cadavera in pulverem conterunt, amborumque cineres in unum commiſcent, ut pariter ſint in uſu. Cumprimum cancri indicia adparent, vulnus bubulo felle mane & veſpere perfunditur, & dein repoſito in id animalium cinere conſpergitur, impoſitoque quocum-

que

que folio obligatur. Si pertinax malum medicinam hanc respuat, *beccabungam* cum aqua ebullire sinunt; tum vas ab igne remotum cancerato membro subjiciunt ita, ut vulnus vapore aquæ inhaletur. Cum deinde aqua jam intepescit, ea vulnus lavatur. Curatio hæc eousque iteratur, quoad nullum serpentis mali vestigium supersit. Postea emplastro vulnus illinunt. Id consit ex æquis veteris lardi, & recentis sebi partibus leni igne liquatis, addita modica ceræ flavæ, & minore adhuc thuris, & colophoniæ quantitate.

Jam de rei agrariæ administratione pauca dicemus. Agros non singuli singulos, sed universos claudunt, atque seu a pagis, seu a viis publicis, seu a pascuis, silvisque, & a vicina quavis possessione sepibus discriminant, ne possit pecus in eos evagari. Sepes non alias habent, quam structiles in tanta silvarum multitudine materia ad eas ubivis obvia. Usitatissima in agris seges, in superiore quidem provinciæ tractu *panici miliacei*, in inferiore *Zeæ mays* est. Agrum Zea consitum plerumque seminibus *holci sorghi* marginant, ut, quoniam bubulum pecus ejus folia præ illis Zeæ fastidit, a satis abstineatur. Ceterum holcum in pabulum equorum educant. Frumenta rustici fere lautitiis tantum, possessionum domini quæstui serunt. Eorum non alia genera sunt in cultura, quam quæ nostris etiam arvis sunt indigena, præter æstiva

genera, quorum in Sclavonia frequentior, quam apud nos; eſt ſatio. Solum arabile in univerſum eſt argilla humo temperata plerumque cinereo, nonnumquam flaveſcente colore, non tenax, & dura, ſed ſoluta, atque ad colendum maxime idonea, cujus apud peritos agricolas laus fœcunditatis maxima eſſe ſolet. Sed hic famæ ſuæ non reſpondet. Neque enim triticum, niſi cum quinto, aut ſexto, Zea vero mays non niſi cum ſexageſimo redit; ſive quod ſemina ſpiſſe jacta in inanes exſiliunt ſpicas, ſive quod inutiles ſatis internatæ herbæ, quas vellere cura non eſt, ſuccos terræ ad ſe evocent, ſive, quod conſeneſcens, & perpetuo contacta vomere terra ſtercoratione non adjuvetur. Indubium eſt, in ea, quam teneri vidimus, rei ruſticæ adminiſtratione graviter peccari, quod pro modo arvorum pauca ſibi parant, & tuentur armenta, nihilque ex iis in chorte habent, quod inde in agros exportetur. Stercorationi ſuppleri exiſtimant ſive ceſſatione terræ in binos etiam annos productæ, ſive paleis a tritura reſiduis, eoque quod a jumentis in meſſem inactis decidit; propter quod eam ipſo in agro exterunt. Qui oves tuentur, cratibus in agro cohortes faciunt, ut pecudum ſtercus intra eas remaneat. Non diffitemur, in ea, quæ nunc eſt, agricolationis ordinatione majorem pecorum numerum ſuſtineri non poſſe, quod extenſio pratorum modo agrorum non

reſpon-

reſpondeat, peneque locus non ſuperſit, qui graminibus utiliter diſponi poſſit. Sed hæc deſidis plerumque, aut ignari coloni incuſatio potius, quam excuſatio eſſe ſolet, qui malit pecori potius ſponte nata pabula e prato petere, quam ea in agro parare.

Agros, quantumvis ſicciſſimos, in anguſtas liras diſponunt, non alia ratione, quam quod eam agri formam ubertati frugum plurimum conducere arbitrantur. In ſemente facienda eum ſervant ordinem, ut triticum hibernum in vervacto, in reſtibili agro primum Zeam mays ſerant, &, ſi vires agri ferant, tertiam adhuc æſtivi cujusdam frumenti ſegetem eidem agro imperent; ſin minus, poſt binas meſſes requietum patiuntur. Zeæ mays duo ſunt genera, ſolo granorum colore albo, & flavo diverſa; melius, quod flavum eſt. Utrique fungi quoddam genus, ad lycoperdon pertinens, infeſtum eſt, tenellæ ejus ſpicæ innaſcendo, eamque penitus enecando, quem frequentiſſime ſubnaſci ajunt, ſi idem ager repetita Zeæ ſemente frequentetur. Semina Zeæ in ſuperiore provinciæ tractu manibus plerumque æqua diſtantia deponunt; in inferiore frumentorum inſtar jaciunt, cumque deinde jam aliquot foliorum fuerint, quascumque ſpiſſe ſibi adnatas vident plantas, intervellunt, ut, quæ relictæ ſunt, juſtam laxitatem habeant; quo etiam tempore ſarculis humum

movent,

movent, motamque ad culmum exaltant. Herbarum inutilium ſatis internaſcentium eadem, quæ ubivis, varietas; in quibus & *ervum tetraſpermum*, & *viciam piſiformem*, & *lathyrum hirſutum* reperimus. Sed non alia majorem dat noxam, quam *bromus ſecalinus*, quem inter ſegetes culmis, ſpicisque ita eluxuriatum vidimus, quaſi ſi agricola ejus ſemina pariter cum tritico ſparſiſſet. Infeſtum id gramen a ſatis arceri poſſe exiſtimamus, ſi primum cura ſit, ut purum, atque ab alienis granis emundatum ſemen terræ mandetur; deinde reſtibilis poſt frumentorum meſſem ager ejus naturæ plantis conſeratur, quæ aſſidua runcatione, & frequente terræ inter ſemina commotione opus habent, ne quæ ſubnatæ ſunt inimicæ herbæ, poſſint tempore convaleſcere.

In metendo ſecula utuntur. Meſſem cum primum opportunis ſolibus peruſta inaruit, in area ipſo in agro permundata inactis jumentis exterunt, nullo baculorum ad trituram uſu, præterquam in ſecalina ſegete ſtramentorum gratia, quæ mapalibus tegendis cuſtodiunt. Soli tantum Zeæ mays meſſi, velut uberiori, tectum parant. Ei condendæ granaria lignea plerumque viminibus texta columnis ſuſpendunt, ut perflari undique atque etiam a fundo poſſint. Frumentorum grana in arcis ligneis a terra exaltatis recondunt. Molituram ruſtici ipſi adminiſtrant, plurimis ad eam molis

excita-

excitatis, quarum est simplicissima structura, similitudo vero eadem cum illa, quam *Belidor Archit. Hydr.* §. 666. descripsit, & nuper Cel. *Pallas* apud Baschkiros reperit. *Itin. II. p.* 45.

Rei pecuariæ nulla seu scientia, seu cura. Boves, nisi operarios, non habent; saginariis pabulum providere nesciunt. Vaccas tuentur fere solius lactis gratia; nam id neque in butyrum cogunt, neque in caseum premunt. Ovilli pecoris propter opacum, & silvosum regionis ingenium tutela pene nulla, præterquam in superiore provinciæ tractu pluribus locis aperto, in quem Excell. D. Comes *Jankovich a Daruvár* ovium greges traduxit. Idem armentorum quoque tutelam primus adgredi instituit, amplo ad eam saginario ædificato. Caprinum pecus, cui rupes & silvæ ad pabulandum cordi, majore numero sequuntur. Sola fere pastio est suilli generis, glandariis silvis ad eam maxime opportunis, quæ, si fructum perferant, autumno, hiemeque numerosissimos suum greges commode alunt. Nec glandibus solum, sed refossis etiam *pteridis aquilinæ* radicibus sues pinguitudine crescunt, si modo perpetua iis aquæ sit potestas; nam si sitiant, in maxima etiam pabuli ubertate non proficiunt. Glans fagea, prius quam illi adsuescitur, sues temulentos, lardum autem minus firmum facit; sed id, si sui a pastu reduci grana Zeæ mays præbeantur, brevi post tempore coagulatur. Equorum Sclavoni-

S

corum cum hungaris cognatum esse genus videtur, æqua in utrisque cursus celeritate, tolerantiaque; sed ingenio dispari, quod, cum nostri facile mansuescunt, cum illorum feritate perpetuo colluctandum sit. Vehiculorum forma a nostris in eo diversa est, quod rotas adeo vicinas adnectunt, ut posteriores a primis fere nullo intervallo absint; quæ res & capacitati vehiculi multum detrahit, & machinam in motu minus fidelem reddit.

Villaticæ pastionis proventus pene nullus est. In superiore tamen provinciæ tractu meleagridum gallopavonum greges pascunt, quos in vicinam Croatiam ante se agunt. Examina apum in alvearibus plerumque vimine textis non infrequenter collecta habent. Mirum autem eos apum domicilia in silvis non pervestigare, neque cavatis de industria arboribus sedes examinibus parare, ut uberrima sine labore mellis vindemia obveniat. Id feræ culturæ genus in Russia, & Polonia, Germaniæque quibusdam locis usurpatum silvosissimæ huic regioni maxime convenire videtur, nec dubium, quin e spontaneo hoc mellificio plurimum nummorum contrahi posset.

Bombycum educatio, etsi huic regioni pene adhuc novitia, eo processit, ut hoc anno 2367 floreni pro folliculis non siccatis in Poseganam provinciam redierint. Earum curam rustici a prima seminum animatione usque ad animalculorum

ematu-

ematurationem ſuis in mapalibus proſequuntur; cum deinde folliculos jam fecerint, ſatisque conſtiterit, maturos jam eſſe, eos protinus carpunt, inviolatosque ad rei ſericeæ adminiſtratores deferunt, atque ære commutant. Ab expertæ fidei viro didicimus, plurimum ad ſplendorem ſerici adjici, ſi, cum fila folliculis detrahuntur, quoties nova iis aqua adfunditur, toties quanta volam implere poſſunt, lini ſemina in calidam injiciantur. Sed id in iis, quorum capillamentum candidum, minime faciendum eſt, ne color offuſcetur. Nec minus ad rigorem filorum confert, ſeptem, octove guttas aquæ ſandaracha gummatæ lebeti inſtillare, quoties vetus balneum novo permutatur.

In nicotianæ cultu nihil a more peritiſſimorum cultorum diſcedunt; ſed is paucorum eſt, & fere eorum ſolum, quibus campeſtris provinciæ plaga obtigit. Plurium, imo univerſorum per omnem Sclavoniam colonorum cura verſatur in educanda, multiplicandaque pruno domeſtica, quoniam ex ea etſi non uberior, gratior tamen illis vindemia, quam e vitibus, provenit. Illi ſolum argilloſum orienti, aut meridiano ſoli ſubjectum aptiſſimum habetur. In novis pomariis, in ordinem arbuſculis poſitis, primis annis ante, quam radices longius procedere poſſint, Zeam mays interſerunt, ut, quoniam terra inter plantas foſſionibus frequentari debet, ſtirpes

melius convalescant. Cum deinde eo processere arbores, ut infimi earum rami dentibus pecorum violari jam nequeant, ea pomariis impasci sinunt, idque faciunt non pecorum solum gratia, sed etiam arborum, quod experientia sit, quanto terra pedibus animantium, hominumque magis occulcatur, tanto arbores fructibus amplius exuberare. Futuram arborum fœcunditatem his signis æstimant: si novella materia hieme rubeat; si cum floribus folia pariter prosiliant; si fructuum rudimenta brevibus pediculis ramo adnectantur. De ratione, qua generosum liquorem ex harum arborum pomis, fermento antea concoctis, igne exigunt, non attinet dicere, quoniam nihil a quotidiana, ut ea adpellari consuevit, destillatione diversum habet. Atque hæc fere sunt, quæ de usitata huic populo domus, rurisque administratione ad scientiam nostram pervenerunt. Nunc ad reliquum ordinem propositæ narrationis redimus.

Kalendis igitur Augusti *Csepinum* tenuimus. Eo in loco ad plantas, quas jam supra commemoravimus, sequentes adjecimus: *Veronicam scutellatam*, *scabiosam integrifoliam*, *scutellariam galericulatam*, & *hastifoliam*, *senecionem paludosum*, *Phellandrium aquaticum*, *Trifolium hybridum*, *striatum*, *alpestre*, *pannonicum*, *ochroleucum*, atque aliud *pratensi* non dissimile, a quo tamen caule minus diffuso, & foliis striatis,

gla-

glabris differt, *Carduum paluſtrem*, & *digitalem ferrugineam* &c. Ceterum blande, ac benigne pro more excepti, comiter nobili poſſeſſionis domino conviximus; ſed non ultra triduum morati Nonis Auguſti verſus Quinque - Eccleſias iter inſtituimus.

Non dubium, quin omnis ejus urbis vicinia utiliſſimam naturæ latebras ſcrutantium operam diu diſtinere poſſet. Sed nobis obſervare non licuit, niſi quæ ſponte ſe obtulere. Montis *Metſek*, cui urbs ſubjacet, maſſa e rudi calcareo lapide coaluit: huic ad orientem, qua parte ædes Divæ Virgini ad Nives ſacra ſita eſt, adplicantur minores montes, collesque e congeſtis concharum in calcem verſarum fragmentis concreti; inde qua via ad oppidum *Pétsvárd* perducta eſt, collis occurrit, cujus omne ſolum candidiſſimo ſe præbet adſpectu; terra ejus e genere argilloſarum eſt cum calcarea contemperata, nec infrequenter tenuibus arenæ ſiliceæ venis interſecatur. Qua ab urbe verſus occidentem receditur, arctiſſimæ inter montes intercipiuntur valles, e quarum una pauca quarzi in criſtallum coagulati, & etiam amethyſtino colore tincti fragmenta, nec non & gypſi, criſtallis adſperſi, fruſta ad nos adlata ſunt. Ad eamdem plagam horæ itinere ab urbe diſtat pagus *Szölös*, e quo molares lapides in omnem non ſolum Baranyenſem provinciam, ſed vicinam quoque regionem

devehuntur. Ei uſui adhibent lapidem e particulis quarzinis, ſiliceisque compoſitum, maculis ab ochra martiali flaveſcentibus, ſparſum.

E plantis paucas torridæ hujus æſtatis ſiccitati ſuperſtites vidimus, *carduum eriophorum*, *althæam cannabinam*, *Inulam bubonium*, *Athamantam cervariam*, *Cucubalum bacciferum*, & *conyzam ſquarroſam*, quibus addere placet eas, quas ſæpe alias menſe Septembri in ea vicinia legimus, velut *aconitum anthoram*, *centauream calcitrapam*, & *radiatam*, *carduum canum*, *melicam altiſſimam*, *phalaridem oryzoiden*, *artemiſiam rupeſtrem*, *Carduum*, quem *Boujarti*, & *melicam*, quam *nodoſam* adpellavimus. Poſtrema hæc genera accuratius deſcribere, atque iconibus etiam illuſtrare non incongruum duximus.

Artemiſia rupeſtris. Linn. Tab. XII.

Ex eadem radice caules plurimi denſiſſime ſibi adnaſcentes, ligneſcentes, leviter ſulcati, rubeſcentes, & tenuiſſimo, raroque villo adſperſi. Folia pinnato-multifida linearia ſubincana. Flores in racemo terminali globoſi, penduli. Habitat in monte Metſek, cujus ſterilem, & lapidibus confragoſam declivitatem fere ſola obtegit. Sitne hæc noſtra ad varietatem α, an γ Linnæi referenda? ſatis certo conſtituere non valemus.

Car-

Carduus Boujarti. Tab. XIII.

Caulis ſulcato - ſtriatus, ramoſus, coloris ſpadicei, rara lanugine adſperſus, quatuor, quinoſve pedes altus. Folia ſunt ſeſſilia, bifariam pinnatifida, laciniis majoribus divaricatis, minoribus erectis, omnibus ſpina flaveſcente longa terminatis, ſupra virentia, & hirta, ſubtus tomentoſa, & incana, prorſus ut in carduo eriophoro Linnæi, eo ſolum diſcrimine, quod in noſtro foliorum coſtæ ſpadiceæ ab utraque folii parte appareant, emineantque. Flores erecti, terminales, in binis ut plurimum foliolis ſeſſiles, nec glomerati. Calyx ovatus e plurimis ſquammulis lanceolato - ſubulatis, ſpadicei coloris, ciliatis, & ſpinula alba terminatis, lana plerumque modiciſſima, alias paulo copioſiore, connexis conſtat. Corollulæ purpureæ. Pappus plumoſus. Floret menſibus Auguſto, & Septembri. In plana Quinque - Eccleſiis ſubjecta regione copioſiſſimus. Carduum hunc, ut ab *eriophoro* Linnæi ſejungeremus, auctor nobis fuit amiciſſimus *Boujart*, vir Botanices ſcientiſſimus, in cujus judicio numquam non adquieſcere ſolemus; propter quod etiam plantam ejus nomine inſignitam eſſe voluimus.

Melica nodoſa. Tab. XIV.

Gramen hoc *melicæ cærulcæ Lin.* affine ab ea vel ipſo jam habitu, & eo etiam differt, quod, cum *cærulca*

pene

pene enodis sit, hæc nostra culmum habeat denis etiam nodis geniculatum. Paniculam facit plerumque coarctatam, nonnumquam, præsertim sublatis floribus, divaricatam; spiculas gerit, quarum calyx brevis quaternos amplectitur flores, infimum sessilem, reliquos pedicellatos, supremo plerumque incompleto. Florum petalum majus in aristam brevem, &, quo quisque flos altiore est loco, minorem desinit; minus sub lente vitrea binis brevissimis velut aristis aculeatum comparet. Folia brevia, acuminata, rigidiuscula. Gramen totum viridi - purpureum, cœruleumque supra binorum pedum altitudinem attolli numquam vidimus. Habitat in sicca, lapidosaque montis Metsek declivitate.

V. Idus Augusti Quinque - Ecclesiis discessimus, factoque per *Pétsvárd*, *Nádas*, & *Bonyhád* itinere *Sárvizium* pigerrimis aquis gliscentem fluvium, cui sublicius ad pagum *Kölesd* pons instratus est, superavimus. Quidquid terrarum hunc inter fluvium, & Danubium interjacet, solitudo est, raris hominum habitationibus, præter armentariorum, opilionumque mapalia, quorum persæpe nihil e solo exstat præter tectum, sub quod in subterraneos specus correpunt homines. Solum e sabulo, humoque contemperatum, ubicumque exercetur, largitate frugum impensi laboris gratiam reddit. Eapropter ingentes terrarum tractus frumentorum sege-

tibus

tibus disponuntur; sed longe maximi culturam non accipiunt, inactis in eos pecorum gregibus, quorum gratia campi vasti relinquuntur. Numerus impascentium pecorum, si e modo camporum æstimetur, exiguus, si e multitudine, bonitateque pabuli, forte immodicus est. Nam quid sabulum, quantumvis temperatum, nullo cultore proferat, præter raram, tenuemque herbam, quæ armenta commode alere, greges satiare non possit? Plantarum hæc fere varietas est: *Gnaphalium arenarium*, *centaurea paniculata*, & *jacea*, *Pimpinella saxifraga*, *Athamanta cervaria*, *Xeranthemum annuum*, *Brassica eruca*, *scabiosa ochroleuca*, *Achillea millefolium*, *Euphrasia lutea*, & plures *Euphorbiæ* species. E graminibus frequentiora sunt: *Panicum dactylon*, *Poa eragrostis*, & *Cenchrus racemosus*, quæ figendo sabulo quam maxime accommodata esse observavimus; tum *Andropogon ischæmum*, *stipa capillata*, & *juncea*, quorum aridis e nivium integumento eminentibus culmis pecora, quoad hiemem in campo tolerare coguntur, famem non tam propulsant, quam mitigant. Quæcumque autem terræ aratro commotæ sunt, eæ brevi post tempore *Salsola Kali*, & *prostrata*, nec non *Polycnemo arvensi* implentur eo, ut hæ plantæ præcipuum inter inutiles satis internascentes herbas locum obtineant. Non est hic nobis prætereundum novum quoddam *Cheiranthi* genus, quod his campis jam quondam,

& rursum nuperrime a se lectum Cl. *Josephus Mitterpacher* Matheseos sublimioris in Universitate nostra Professor nobiscum communicavit, potestate etiam facta, ut in publicum ederemus. Quod eo libentius facimus, quod ita occasio nobis oblata est, simul insignem Viri hujus rei herbariæ scientiam commendandi, simul publice profitendi, ejus nos consiliis in dubiis circa plantas subnatis adjutos fuisse. Est autem plantæ hæc descriptio:

Cheiranthus canus. Tab. XV.

Foliis linearibus, integris, subtomentosis; caule ramoso, teretiusculo, scabro, subtomentoso; siliquis brevibus semiuncia vix longioribus, tetragonis fere tetraedris, angulis duobus oppositis exquisite prominentibus, viridiusculis, hedris albidis, tomentosis, scabris. Stylus tetragonus longitudinem dimidiæ siliquæ æquans, sæpe superans; stigmate bifido instructus. Crescit in sabulosis promiscue cum *Cheirantho alpino*, quocum demptis siliquis exacte convenit. Floret mensibus Augusto, & Septembri.

IV. Idus Augusti in *Elöszálás*, quod est prædium RR. PP. Cisterciensium juribus obnoxium, nuperrime elegantis structuræ templo illustre redditum, interquievimus, atque inde III. Idus ad *Adony* transivimus. In udis circa hoc

oppi-

oppidum locis frequentiſſime creſcit gramen, quod & *Quinque - Eccleſiis*, & *Budæ* quoque, ſed rarius, reperitur, quodque adpellavimus.

Phleum alopecuroides. Tab. XVI.

Radix fibroſa, e qua culmi plurimi confertim exeunt, adſcendentes, raro ſupra pedalem longitudinem. Folia brevia, tenuia, acuminata. Spicæ cilindricæ, tenues, cœruleſcentes, nonnumqam binæ in apice ejusdem culmi. Calycis glumæ acutæ, minime truncatæ, muticæ, ſubvilloſæ. Corolla bivalvis calycis magnitudine. Antheræ ſordide albæ. Gramen habitu alopecurum refert, totumque e viridi purpuraſcit. Floret menſe Septembri.

II. Idus Auguſti Budam ſalvi tenuimus.



Tab. I.



J. Kibler Sculp.



J. Kibler ad Viv. pinx. et Sculp


Tab. III.

Tab. IV.

Fig. 1



2



3



4



5



6



Ignaz Albler ad Vir. pinx. et Sculp. Viennæ.

Tab. V.

Fig. 1



2



3



4



5



6



J. Kibler pinx. et sculp.

Tab. VI.

Fig. 1



2



3



4



5





6



Ignaz Kibler ad Viv. pinx. et Sculp.



J. Kibler pinx. et sculp.

Tab. VIII.

Fig.



J. Kitler pinx. et Sculp.

Tab. IX.

Fig.

1


2


3


4


5


6


7


8


9


10


11


12


13



14


15


Kitler pinx et sculp.

Tab. X.

2



3





Fig. 1



J. Kibler Sculp.

Tab. VI.




J. Kibler Sculp.

Tab. XII.



J. Kibler del. et Sculp.

Tab. XIII.



J. Kitler del. et Sculp.

Tab. XIV.



J. Kötler Sculp.

Tab. XV.



J. Kibler Sculp.

Tab. XVI.



J. Kibler sculp.

